

FR. ANDREÆ SGAMBATI
ORDINIS MINORUM
S.FRANCISCI CONVENTUALIUM
O P U S
DE THEOLOGICIS INSTITUTIS,
TOMUS DUODECIMUS
COMPLECTENS
LIBROS DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE,
ET ORDINE.



N E A P O L I

A N N O M D C C L X X X I I .

EX TYPOGRAPHIA FRATRUM PACI.

SUPERIORUM FACULTATE.

**ILLUSTRISSIMO MARCHIONI
D. DOMINICO ANTONIO
DE AVENA**

**REGALIS CAMERÆ S. CLARÆ RE-
GIO CONSILIARIO, ANNONÆ
PRÆFECTO, &c. &c.**

F. ANDREAS SGAMBATI

Opus hoc suum

D. D. D.

UT primum, VIR ORNA-
TISSIME, cogitavi duo-
decimum istud Theologicarum
Institutionum volumen in lu-
cem emittere, statim Te ani-
mus designavit, cui ipsum
venerabundus inscriberem, pu-

a 2

bli-

blicoque hoc officio voluntatem meam Tibi addictissimam declararem. Tanta enim facilitate, ac comitate me alloqui, & erudire dignaris, ut non iminerito Te inter alios præcipuum lucubrationum meorum Mecœnatem optaverim. Quod si egregia quoque virtutum tuarum ornamenta spectentur, alia facile patebit ratio, cur Tibi idem opus dicatum jure, meritoque voluerim. Præclaro siquidem datus ingenio, Jurisprudentiam, omnemque humanarum ac divinarum rerum scientiam a primis annis addiscere tanta animi contentionе curasti, ut præ-

præstantissimi Oratoris munus impleveris , summisque laudibus apud Sapientissimos quosque Viros assidue fueristi exornatus . Doctrinæ insuper , & eruditioni tuae accessit interibus agendis rata dexteritas , mira prudentia , constans æquitas , spectata feligio . Harum profecto , aliarumque virtutum , quibus insignitus es folges , celebritate commotus Invictissimus utrinque Siciliæ Rex FERDINANDUS IV . Te primum inter Magnæ Curia Vicaritæ Judices , tum postea inter Regios Consiliarios recensendum ingenii Bonorum omnium voto , plausu-

que constituit ; indeque ad
Aulæ Sacri Consilii Præfe-
cturam evexit , & inter Am-
plissimos Regalis Cameræ S.
Claræ Senatores accensuit , ac
postremo Neapolitanæ Urbis
annonæ præfecit . Quid itaque
auspicatius meis hisce labori-
bus poteram exoptare , quam
ut sub Præclarissimi Viri no-
mine vulgarentur , in quo de-
cus omne ac præsidium inve-
nirent ? Quia ergo excellis hu-
manitate quæso excipe pter-
num istud observantiaz meæ
gratique arimi pignus , ob id
etiam Tibi debitum , quod
Seraphicum Fratrum Mino-
rum Ordinem singulari bene-
vo-

volentia prosequaris. Interim
ego Deum exoro, ut diu Te
sospitem servet, & pro ma-
ximo Reipublicæ bono ad
ampliora munera, illustriores-
que dignitatis gradus semper
extollat. Vale.



IN-

I N D E X

L I B E R . XXV.

IN quo de Baptismi Sacramento tractatur.
1 pag.

C A P U T I .

*Ubi Baptismi nomen exponitur, ejusque definitio
traditur; ac probatur, Baptismum Christi
longe Joannis Baptismo praestare.* 2

C A P U T I I .

In quo de summa Baptismi materia disputationur. 15

C A P U T I I I .

De proxima Baptismi materia. 26

C A P U T I V .

De forma Baptismi. 36

C A P U T V .

Quandouam Christus Baptismum instituit? 53

C A P U T VI .

Ubi de Baptismi Ministro differit, 61

4

CA.

C A P U T VII.

Num heretici, ac pagani validum Baptisma ministrarent?

70

C A P U T VIII.

Quod liceat, expeditaque parvulos baptizare.

88

C A P U T IX.

Num liceat infidelium pueros invitatis parentibus baptizare?

89

C A P U T X.

An baptizari possint infantes materno adhuc in utero existentes? Quidque de menstruosis fætibus dicendum sit.

98

C A P U T XI.

Ubi de adulorum Baptismo differitur.

104

C A P U T XII.

Quod de Baptismi necessitate pertractat.

112

C A P U T XIII.

De Baptismi effectibus, gratia scilicet, & charactere. Ubi de iis agitur, qui Baptisma fidei suscipiunt.

125

CA.

C A P U T XIV.

De Ceremoniis, quas in Baptismi collatione usurpat Ecclesia. 132

L I B E R XXVI.

Ubi de Confirmationis Sacramento differitur. 139

C A P U T I.

Num Confirmationis verum, propriumque novae legis Sacramentum? 140

C A P U T II.

Ubi de essentiali bujus Sacramenti materia dis-putatur. 146

C A P U T III.

De forma Confirmationis. 156

C A P U T IV.

De ejusdem Sacramenti Ministro. 165

C A P U T V.

De Confirmationis subjecto, & de multiplici dis-positione, quæ in eo requiritur. 179

C A P U T VI.

Agit de duplice Confirmationis effectu. 185
CA-

C A P U T V I D

- De Confirmationis necessitate, necnon de ritibus, quibus illa confertur.* 190

L I B E R XXVII.

- Ubi de Sacramento Ordinis breviter disputatur.* 197

C A P U T I R

- Num Ordo sit proprium Legis Evangelicæ Sacramentum?* 198

C A P U T II.

- De Ordinum numero.* 204

C A P U T III.

- De Clericali Tonsura.* 210

C A P U T IV.

- De Minoribus Ordinibus.* 216

C A P U T V.

- De Subdiaconatu.* 224

C A P U T VI.

- De Diaconatu.* 228

CA.

C A P U T VII.

De Presbyteratu.

235

C A P U T VIII.

De Episcopatu.

239

C A P U T IX.

Ubi de Ordinis materia, & forme tractatur. 246

C A P U T X.

Agit de ejusdem Sacramenti Ministro.

255

C A P U T XI.

*Quod ab Episcopis hereticis, vel schismaticis,
vel criminis quolibet pollutis validis Ordines
conferantur.* 262

C A P U T XII.

Ubi de Ordinis subjecto differitur.

269

C A P U T XIII.

*De Ordinationis Effectibus, & de nonnullis ri-
sibus, quibus illa peragitur.* 277

E F I N E S.

DE

P E
THEOLOGICIS INSTITUTIS
LIBER. XXV.

In quo de Baptismi Sacramento
tractatur;



Igillatim nunc de septem Ecclesiæ Sacramentis acturi cum simus, primo nobis Baptismus occurrit: est enim Sacramentum istud, vestri ianua, qua in Christianæ vite societatem ingredimur, atque ab eo divinis preceptis obtemperandi initium facimus; uti recte adnotat Catechismus Romanus in p. 2. c. 2. n. 4. Hujus præterea Sacramenti tanta dignitas & excellens est, ut ipsum præclarissimum titulis Scriptura, & Patres passim insigniant. Appellatur enim sacramentum fidei, peccatorum absolutionis, illuminatio, unctio Spiritus Sancti, incorruptionis indumentum, hereditatis sigillum & arrha; aliisque tandem vocabulis illustratur, ut Nazianzenus Orat. 40. in S. Baptisma merito dixerit: *Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est, & præstantissimum.* Et postea: *Huic gratulantur Cœli, hunc Angeli propter splendoris cognationem celebravit: hic futura beatitudinis imaginem gerit: hunc prædicaro quidem, & laudibus ornare gestimus; verum pro rei dignitate non possimus.*

Tom. XII.

A

CA.

e De Theologicis Institutis

C A P U T . I.

Ubi Baptismi nomen exponitur, ejusque definitio traditur; ac probatur, Baptismum Christi longe Joannis Baptismo praestare.

Baptismus Græcum est nomen originem ducens a ~~Durrilso~~, quod mergere, tingere, hortingere, lavare significat; & hoc in sensu non apud profanos tantum Auctores, verum & in sacris etiam literis usurpatum. Legimus enim Marci 7. v. 4. baptismata calicuno, & urceorum, & cramentorum, & lectorum. Apostolus etiam ad Hebr. 9. v. 10. scribit varia Iudeorum fuisse baptismata. Et in lib. Judith c. 12. v. 7. dicitur, quod illa baptizabat se in fonte aquæ. Ita denique alibi non semel acceptum idem vocabulum invenitur.

Translatum quoque hoc nomen est, ut calamitatem, peccantiam, martyriumque designet; ideo nesciebat, quod sicut in Baptismate aquis, ita in calamitatibus, in peccantia, in martyrio, poena, lacrymis, sanguine perfundamur. Hinc David in Psal. 68. v. 2. ad exprimendam afflictionis suæ vehementiam ait; Intraverunt aquæ usque ad animam meam. Et Christus passionem mortemque suam baptismi nomine designavit, inquit Marci 10. v. 38.

Pg,

Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Sancti item Patres poenitentiam s̄epius baptismata laboriosum, sive lacrymarum appellant; lege Nazianzenum Oratione 39. quæ est in sancta lumina. Denique Basilius hom. de 40. Martyribus, Chrysostomus hom. in S. Martyrem Lucianum, aliqui martyrum baptismata sanguinis appellarunt.

Figurato etiam in sensu baptismi vocabulum usurpatum ad divinorum donorum affluentiam denotandam. Legitur enim Act. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multis his dies.* Et Matth. 3. v. 11. Joannes de Christo ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Igni autem virtus Spiritus Sancti ideo comparatur, quod efficacissimam viam habeat purgandi peccata, eorumque fortes penitus absu[m]endi; & quod idem S. Spiritus in die Pentecostes super Apostolos sub ignearum linguarum figura descenderit.

Sed præter ejuscemodi significaciones, baptismi nomen præcipue denotat sacram illam, mysticamque ablutionem, qua quis aqua baptizatur in corpore, ut interius Spiritu renascatur. De hoc Baptismate quod fluminis dicitur, ait Christus Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Paulus ad Titum 3. v. 5. scribit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.*

Ab hereticis multæ traduntur Baptismi definitiones, quæ omnes eo collineant, ut vel illius efficientiam admant, vel denegant gratiam inhærentem, vel ejusdem Baptismatis necessitatem excludant. Plures etiam hujuscē Sa-

4 De Theologicis Institutis

cramenti definitiones a Catholicis assignantur, quas inter eam præ ceteris eligendam esse censimus, quæ in Catechismo Romano legitur p. 2. c. 2. n. 5. *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo.* Est enim illæ sensibile signum gratiæ spiritualis; adeoque *Sacramentum recte vocatur.* Bene etiam dicitur *Sacramentum regenerationis;* ut patet ex ad ductis supra textibus Joan. 3. & ad Titum 3. Illud vero per aquam Sacramenti hujuscem masseriam explicat, sicut illud *in verbo ipsius formam exponit;* juxta quod Paulus, ad Ephes. 5. v. 25., & 26. scribit: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vite.* Verba autem, quæ formam Baptismi constituunt, sunt invocatio SS. Trinitatis: unde nonnulli, perspicuitatis gratia, id etiam in Baptismi definitione reponant. Hac de re legi inter alios potest Ven. Scotus in 4. d. 3. q. 1.

Sacramentum istud plures olim adumbraverunt figuræ, quos inter Catechismus Rom. citato in loco recenset Noeticum diluvium, quo purgatus est mundus, cum multa malitia hominum esset in terra; & transitum mari rubri, quo populus Israel Ægyptiacæ servitutis jugum excusfit; & ablutionem Naaman Syri, qui in Jordane lepra mundatus est ex Elisei præscri pto; & admirabilem vim probaticæ piscinæ, & alia id genus multa, in quibus hujuscem mysterii symbolum inesse evidenter appetat. Proprius autem, clarissimum Christi Baptisma præfiguratum est in baptisme Joannis, de quo hic breviter differemus.

Hæretorum plerique cum parent, Sacra men-

Lib. XXV. Cap. I.

menta nihil aliud esse, quam Dei oppignora-
tionem, & sigilla doctrinæ, nullumque, exce-
pta fide, iustitiae instrumentum agnoscant, ean-
dem baptismō Joannis, ac Baptismo Christi
efficaciam inesse concludunt. Unde Calvinus
in lib. 4. instit. c. 14. §. 7.. scribit: *Quo etiam
certissimum sit, idem fuisse prorsus Joannis mi-
nisterium, quod Apostolis postea delegatum est.
Non enim aliud baptismum faciunt diverse,
manus, quibus administratur: sed eundem esse,
eadem doctrina ostendit. In unam doctrinam
Joannes, & Apostoli consenserunt: &c.* Quam
vero id perperam dictum sit, ostendit sequens

*Propositio. Baptisma Christi in hoc præser-
tim Joanni baptismati præstat, quod illud ex
se gratiam conferat, culpamque remittat;
istud vero non item.*

Probatur. Matth. 3. v. 11. Joannes Phari-
sæis ad se venientibus, ut baptismū reciperent,
inquit: *Ego quidem baptizo vos aqua in paenitentiam:
qui autem post me venturus est, forti-
or me est, cuius non sum dignus calceamenta
portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto,
& igni.* Quibus profecto verbis Joannes discri-
men istud inter suum, & Christi Baptisma con-
stituit, quod suum dumtaxat corpus ablueret,
& ad paenitentiam excitaret; Christi vero Ba-
ptisma pertingat animum, & ipsum Spiritus
Sancti gratia donisque perfundat. Quare Chry-
stostomus hom. 11. in Matth. de Joanne scri-
bit: *Profiteretur baptismatis simplicitatem sui, nec
illud quidquam amplius habere demonstrat, quam
ut eos ad paenitentiam duceret: non enim dicit
in aqua remissionis, sed paenitentie: tum demum
ponit Christi baptisma ineffabilium donorum li-*

6 De Theologicis Institutis veralitate cumulatum.

Hæc præterea veritas confirmatur ex eo quod A&t. c. 19. legatur, duodecim viros qui se baptizatos dixerunt in Joannis baptismate, baptizatos a Paulo fuisse in nomine Domini Iesu. Lege v. 3. 4. & 5. Si enim uterque baptismus idem esset, illum sane non iterasset Apostolus; maxime cum nesas sit baptismum repetere, qui semel est rite collatus. Hinc apposite S. Augustinus in lib. 5. de Bapt. contra Donatistas c. 10. n. 12. ait: Quero itaque, si baptismio Joannis peccata dimittebantur, quid amplius prestare potuit baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis voluit baptizari? & seq. n. 13. subdit: Quæ igitur causa est, nisi quia baptismum, quod illos jussit Paulus accipere, non hoc erat quod per Joannem dabatur?

Alii præterea Patres communis id suffragio docuerunt. Basilius in lib. de Spiritu S. c. 15. scribit: Illinc cognoscitur quantum inter eam gratiam, quæ a Spiritu proficiscitur, & baptismum eum, qui aqua tantum constitutus, sic discriminis, quod Joannes quidem baptizavit aqua, Dominus autem meus, Jesus Christus, in Spiritu Sancto. Idem inter Græcos alios scribunt Nazianzenus Orat. 39. in sancta lumina, Cyrrillus Hierosol. catech. 3. Cyrillus Alex. in c. 1. Joan. Theophylactus, Ecumenius, &c.

Ex Latinis autem S. Ambrosius in cap. 3. Lucæ lib. 2. n. 79. ait: Non aqua omnis ablutio est, sed hæc inter se divisa esse non possunt, & ideo aliud fuit baptismus pœnitentie, aliud gratiae est.

Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos:

Lib. XXV. Cap. I.

7

nos: Audi quid Scriptura doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam paenitentiae baptisma fuit; in peccatorum remissionem, id est, futuram remissionem, quae esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.

Denique Gregorius M. lib. t. in Evang. hom. 7. inquit: *Joannes non Spiritu, sed aqua baptizat; quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non lavat.* His accensendi sunt pariter Tertullianus in lib. de Bapt. c. 10. Hilarius can. 2. in Matth. Optatus lib. 5. contra Parmen. &c:

Merito igitur Synodus Tridentina in sess. 7. can. 1. ita decrevit: Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.

Hoc tamen in loco opportune notandum est, quod Catholici quidam Theologi sentiant, fidem non habendi, si dicatur Joannis baptismate dimissa fuisse peccata; modo inter illud, & Christi Baptisma differentia statuatur: quamquam verissime teneant ferme omnes baptismum Precurforis aut. non diluisse peccata, aut ea si diluit, id ex opere operato minime praesertisse, sed ratione dumtaxat paenitentia & fidei illorum, qui tali baptismate tinebantur.

Tandem advertimus, alias etiam a Theologis assignari disceiminis rationes inter utrumque baptismum. Et primo. Joannis baptisma nullam omnino formam habuit; cuncta Scriptura, & Patres altum de ea servent ubique silentium, neque necessum fuerit verbo consecrari materiam careat virtute gratiam producendi. Putarunt utique quidam, baptizasse Ioan-

A 4

nem

8 De Theologicis Institutis

nem in nomine Messiae venturi; sed præterquam quod adhuc inde sequeretur, diversam sive formulam veriusque baptismatis, illorum opinio state non potest. Interrogarunt enim Pharisæi Joannem, an ipse esset Christus; quibus ille se Christum non esse respondit; id igitur ignorabant Pharisæi: at qui minime ignorassent, si Joannes sub venturi Messia formula baptizasset. Præterea Paulus Act. 19. v. 5. baptizatos a Joanne baptizari jussit in nomine Domini Iesu.

Simili etiam ratione Vossii sententia confatur, qui ipsum quoque Joannem *in nomine Trinitatis* baptizasse commentus est. Si enim id verum esset, omnes qui Joannis baptismate tingebarantur, Spiritum Sanctum esse scivissent; quod falsum ostenditur ex citato Act. c. 19. v. 2.

Præcellit præterea Christi Baptismus baptismo Joannis, quod iste sese circa Jordanis regionem continuerit, ac neminem ex falsa religione in veram adduxerit: at Christi Baptismus ad Gennes quoque pertransit, easque de regione umbrae mortis in lucem Evangelicæ veritatis attraxit. In eo denique præstare baptismus Christi baptismo Joannis, quod hic tingeret propriis manibus, ille ministerio discipulorum: unos adultos, ac poenitentia expiandos, alter de parvulos originaria tantum labe pollutos: postremo ad Christi Baptisma accessit multitudo populorum frequentior, ita, ut ea res zelotypas causa fuerit discipulis Joannis, atque invenerit Pharisæis.

Otijcies 1. Ex Scripturis apparet, quod baptismus Joannis, & Christi tandem materiam, formam, eundemque auctorem, ac effectum ha-

Lib. XXXV. Cap. I.

habuerint. De materia quidem nulla dubitatio esse potest, in utroque enim baptismo per quam tinctio facta est. De forme similitudine constat: nam Act. 19. v. 4. legitur, Joannem baptizasse in eum, qui venturus esset post ipsam ut crederent, hos est, in Jesum. Baptizavit ergo ille in nomine Christi; quae sane forma non est diversa ab ea, quam, uti nonnulli e Schola dixerunt, post passionem in baptizandis Iudeis adhibuere discipuli. Uterque insuper eundem habuit auctorem; quia baptisma Joannis Matth. 21. v. 25. dicitur, ex Celo fuisse. Convenit tandem utrumque baptisma etiam in effectu quam sicut de Christi Baptismo inquit Petrus Act. 2. v. 38 *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum*. Ita de Joannis baptismo legitur Marci 1. v. 4. *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum.* Uterque igitur peccata dimisit.

Resp. neminem ignorare, quod in baptismo Joannis aqua pro materia fuerit usurpata. Denuo tamen ibi forma consecrans elementum, ut superius dictum est; formam vero si detrahias, quid est aqua, nisi aqua? inquit Augustinus tract. 80. in Joan. n. 3. Nec proinde assertimus Joannem muta usum fuisse ceremonia, uti nobis objectant heretici; cum certum sit, quod ille Christum annuntiaverit, & ad penitentiam hortatus fuerit quos tingebat. Negamus autem prædicationem istam, hortationemque appellandam esse Sacramenti formam, quam in doctrina confistere aliud est hereticorum signum. Superiori in libro disputum. Paulus item adductio in loco de prædicatione loquitur, non

10 De Theologis Institutis

non de forma ; *qui ex supra dictis* appetet. Ceterum etiā daremus , baptisma Joannis formam aliquam habuisse ; non tamen illa gratiam conferbat , sed redemptionem proxime futuram . *Sed modo* promittebat .

Ideo vero baptisma Joannis dicitur e Cœlo-
fuisse , quia institutum fuit divino instinctu ,
inspiratione , mandato ; unde ille apud cognoscendū
Evangelistam c. 1. v. 33. ait : *Qui mi-
sis me baptizare in aqua.* &c. Et Lucas c. 3.
v. 2. testatur tunc Joannem venisse ad prædi-
candum , cum super illum factum est verbum
Domini . At si baptismi illius efficaciam virtua-
temque perspexeris . e Cœlo prosector non fuit ,
sed uti Doctor Angel. ait in p. 3. q. 38. a. 2.
ab homine ; *quia nihil in illo baptisma efficie-
batur , quod homo facere non posset* : unde non
fuit a solo Deo , nisi in quantum Deus in ho-
mine operatur . Idem jam ante tradiderat Ter-
tullianus in lib. de bapt. c. 10.

Tandem peccatorum remissio tribuenda non
est baptismus Joannis , sed poenitentia , ad quam
ille excitabat . vel , ut ait Augustinus in lib. 5.
de Bapt. c. 10. *baptizavit Joannes in aqua poenitentia in remissionem peccatorum* , ut ab eo ba-
ptizatis in spe remitterentur peccata , *re ipsa ve-
ro in Domini baptismo id fieret* . Et sane de
Joannis baptismo non legitur , eo hominem re-
nasci , regenerari , renovari , ablui peccata , &c
cetera quæ de Christi Baptismo dicuntur ; sed
tantum legitimus , *fuisse baptismum poenitentiae in
remissionem peccatorum* . quorum verborum sen-
sus est , Joannem prædicando & baptizando ad
poenitentiam provocasse Judæos , ut viam pa-
rarent ei , qui adveniebat gratiam exhibens ,
ba-

baptizans in Spiritu Sancto, & peccata dimit-
tens: qua exhortatione, si qui pœnitentiam
vehementem egerunt, hos vi contritionis fidei-
que charitati conjunctæ justificatos esse conce-
dimus. Qua in re notandum est pariter, quod
Joannes non hortabatur ad pœnitentiam tan-
quam ad dispositionem baptismatis sui, ut Pe-
terus Act. 2. v. 38. Pœnitentiam (inquit) agite,
¶ baptizeetur unusquisque, Eccl. Sed tanquam ad
præparationem pro recipiendo Messia', dicens
Matth. 3. v. 2. & 3. Pœnitentiam agite: ap-
propinquavit enim regnum cœlorum . . . Parate
viam Domini: rectas facite semitas ejus: atque
dum Jesum vidit, Joan. 1. vv. 29. & 33. Ecce
agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi . . .
Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.

Objicies 2. Nonnulli Patres non obscure te-
stantur per baptismum Joannis remissa fuisse pec-
cata. Ita Basilius Orat. 1. de Baptismo ait: Si-
mul itaque accesserat quis, ¶ peccata sua, quan-
tacunque ¶ qualiacunque fuissent, confessus fue-
rat; in Jordani flumine baptizabatur, ¶ con-
festim peccatorum remissionem accipiebat.

Cyrillus Hierosol. Catechesi mystagogica 3.
inquit: Per baptismum Joannis dabatur remissio
peccatorum; per baptismum Christi adoptio fi-
liorum.

Ambroſius in lib. de Spiritu S. c. 3. scribit:
Joannes in remissionem peccatorum in advenientis
Jesu, non in suo baptizavit nomine. Ex quo
loco Magister sent. in 4. d. 2. concludit ba-
ptizatos a Joanne non fuuisse rebaptizatos, si in
Trinitatem crediderant, nec in ipso Joannis
baptismo spem collocaverant; ac rebaptizatos
tantum, qui Spiritum S. nesciebant, suamque
spem

12 De Theologicis Institutis
spem in Joannis lavato posuerant.

Denique, ut de aliis sileamus, Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 10. ita mentem suam exponit: *Ne quisquam contendat, etiam in baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Paulus Apostolus denio baptizari, per baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.*

Resp. Basiliūm objecto in loco tria distinxisse baptismata, unum Mosis, alterum Joannis, tertium vero Christi. Primum quod promittebat futurum Reparatorem, ac legalem tandem munditatem conferebat, appellat *obsignationem purificationis*: alterum, in quo Salvator praedicabatur adveniens, exhibebat statim remissionem: tertium, reliqua superans, tribuebat supereminentiam gratiae. Ne autem locus iste pugnet cum iis, quæ ex eodem Basilio in lib. de Spir. S. supra retulimus, dicendum est, illud statim idem valere ac *quamcūtissime, quamprimum*; ita, ut sensus sit: Primum baptismum præpunctiabat remissionem aliquando futuram; alterum jam advenientem, ac statim obtinendam; tertium vero plenam, perfectamque largitur. Reponi præterea potest, quod Basilius affirmet, in baptismo Joannis dimissa fuisse peccata, non virtute ipsius baptisma, sed fidei ac penitentie, ad quam Joannes excitabat. Denique Basilius citato in loco Baptismum Christi tantum a Joannis baptismo distare pronuntiat, quantum *Sol stellis antecellit*. Statuit ergo ille apertum inter utrumque baptisma discrimen, quod ad fidem pertinet; quidquid interim dixeris de peccatorum remissione collata vel non collata per baptisma Joannis.

Cy.

Cyrillus etiam de remissione loquitur, quam non ipse Joannis baptismus, sed adjuncta ei pœnitentia conferebat.

Ambrosius exponit recte potest de remissione futura per Christum. Ille enim Praefat. in Psal. 37. ait: *Baptismus Joannis oculus suppliciorum est; baptismus Christi oculus gratiarum.* A Magistr. vero opinione Commentatores ejus magno consensu recedunt, ut notar. etiam Estius in 4. d. 2. §. 5.

Tandem Augustinus noluit pugnaciter agere non quia censuit veram non esse sententiam quam ibi expresse tradit, ut ex probationibus apparet; sed quia ad propositam causam non admodum conducebat. Ad refellendum enim Donatistarum argumentum ab exemplo baptis- mi Joannis petitum satis erat ostendere, quod fuisset ille a Christi Baptismo diversus; proindeque non unus idemque baptismus iteratus est, dum iterum baptizati sunt, qui baptismo Joannis fuerant baptizati.

Objicies 3. Baptismus Joannis propinquior erat Baptismo Christi, quam circumcisio: atque per circumcisionem remittebatur originale peccatum; multo itaque magis id praetitit baptismus Joannis: sed remissio peccatorum sine gratia haberi non potest; ergo,

Resp. cum S. Thoma in p. 3. q. 38. a. 3. ad 3. „ quod circumcisione instituta erat ad remedium originalis peccati; sed baptismus Joannis ad hoc non erat institutus, sed solum „ erat preparatorius ad Baptismum Christi . „ Sacramenta autem ex vi institutionis suum „ habent effectum ,

Ex dictis infertur, quod Joannis baptismus est gratiam non dederit, suam tamen utilitatem

14 De Theologicis Institutis

tem attulerit, triplici nempe modo ad eandem gratiam preparando, ut eo in loco docet S. Thomas: *Uno quidem modo, per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi. Alio modo, assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi. Tertio modo, per paenitentiam, preparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.* Denique legendum consulimus S. Bonaventuram in 4. d. 2. a. 2. ubi per tres quæstiones de Joannis baptismo prolixè, egregieque pertractat.



CA.

C A P U T . II.

*In quo de remota Baptismi materia
disputatur.*

THEOLOGI in quolibet Sacramento quod in usu & actione consistit, duplē solent assignare materiam; remotam nempe unam, & est res illa sensibilis, quæ ad conficiendum Sacramentum assumitur; alteram vero proximam; & est ipse usus, sive applicatio materiæ remotaæ facta ei, qui suscipit Sacramentum. Hoc in capite de remota materia, in sequenti vero de proxima differens.

Piures ex antiquis hæreticis circa remotam Baptismi materiam erraverunt. Hos inter Ca-jani, sive Cainani, ita vocati, quod fratricidem Cain, aliosqæ turpiora perpetrantes facinora colerent, Baptismum aquæ constare negarunt. Item Manichæi cum aquam a malo esse principio crederent, Baptismum in eo elemento collatum, uti noxiū, respuerunt. Idem quoque sensisse Seleucianos, vel Hermianos perhibent Augustinus *Hær.* 59. & Philastrius in Catalogo hæresum. His accensendi sunt Pauliciani, qui, uti refert Euthymius in 2. p. *Panopl.* cit. 21. aquæ elementum sustulerunt, existentes Baptismum perfici sola pronuntiacione verborum, eo quod Christus in Evangelio dixerit: *Ego sum aqua viva.*

Quidam præterea hæretici, quorum meminit

16 De Theologicis Infrarari

nit Anonymus Scriptor de Baptismo in **tome** 1. Concil. pag. 783. & Martene de ritibus Ba-
ptismi lib. 1. a. 14. signem in Baptismo adhi-
buerunt, iactantes, quod statim ac in fontem
descenderent, super aquam ipse ignis appareret,
eoque baptizati haberent integrum perfectio-
ne lavacrum, non, sicut nos, decurtatum
mutulum. Igne quoque baptizasse Messaliano.
Catharosque Eruditi plures affirmant.

Postremo Lutherus in Colloquiis Symposia-
vis c. 17. interrogatus, num deficiente aqua
in lacte baptizare licet, respondit: *Quidquid
balnei loco esse potest, illud aptum esse ad ba-
ptizandum.* Etiam Beza in 2. ad Thomam
Tillium epistola sensit, baptizandum in vino,
aut in alio quovis liquore, si nullo modo aqua
possit haberi.

Propositio. Sola naturalis aqua est remota
Baptismi materia.

Probatur. Ea sola est necessaria Baptismi ma-
teria, cuius usum Christus ipse in Baptismo
praecepit, factoque monstravit: atqui Christus
naturalis aquæ usum in Baptismo præscripsit,
inquiens Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit
ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire
in regnum Dei.* Quod vero naturalem aquam
Christus verbis hisce indicare voluerit, ex e-
iusdem facto probatur quod eo in capite legi-
tut v. 22. &c. 23. *Post haec venit Jesus, &
discipuli eius in terram Iudeam, & illic devo-
rabantur cum eis, & baptizabat eis.* Erat autem
& Joannes baptizans in Ennon, juxta Salimi-
*quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, &
baptizabantur.* Ex quibus apparet, Christum
eiusque discipulos baptizasse vera, & naturali
aqua,

aqua, sicut ipse Joannes : unde ibidem v. 25. & 26. hæc habentur : *Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Iudeis de purificatio- ne: O venerunt ad Joannem, O dixerunt ei: Rabbi, qui erat secum trans Jordanem, cui tu testimonium peribibisti, ecce hic baptizat, O omnes veniunt ad eum.*

Præterea legitur Act. 10. v. 47. dixisse Petrum : *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum accepérunt, sicut O nos?* Actorum etiam 8. v. 36. & seq. de Philippo, & Eunucho Candaci Reginæ Æthiopum perhibetur, quod dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, O ait Eunuchus : *Ecco aqua, quid prohibet me ba- ptizari? . . . Et descendérunt uterque in aquam, Philippus, O Eunuchus, O baptizavit eum.* Cum autem ascendíssent de aqua, O. Quo sa- ne in loco non nisi naturalis aqua potest in- telligi.

Aliis tandem innumeris Scripturarum ora- culis confirmatur assertio. Quoties enim Scri- pturæ de materia Baptismi loquuntur, aquam absolute ac sine additione proponunt: aqua au- tem absolute dicta significat elementarem, na- turalement, veramque aquam; juxta scilicet lite- ralem sensum, cum nihil occurrat fidei verita- ti, morumque honestati contrarium.

Id insuper demonstratur ex communi Pa- trum consensu, quorum testimonia in re no- tissima proferre superfluum est. Perpetuus quo- que Ecclesiæ usus, ac doctrina naturalem aquam Baptismi materiam esse declarat; uti præser- tim patet ex Florentino Concilio, quod in Instructione Armenorum ait: *Materia bujus.*

18 De Theologicis Institutis

Sacramenti est aqua vera, & naturalis . Concilium pariter Tridentinum in sess. 7. can. 2. decrevit : Si quis dixerit , aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi , etque ideo verba illa Domini Iesu Christi , Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto , ad metaphoram aliquam detorserit , anathema sit .

Observandum postremo hic est , quod licet in his , quae diuinam habent institutionem , humanam rationem investigare nequaquam oporteat ; plures tamen congruentiae a Paribus , ac Theologis assignantur , cur aqua sit propria Baptismi materia . Ut enim scribit Doctor Angel. in p. 3. q. 66. a. 3, Coayenienter institutus a Deo est Baptismus in aqua , „ primo quantum ad ipsam rationem Baptismi , qui est regeneratio in spiritualem vitam , quod maximamente congruit aqua : unde & semina , ex quibus generantur omnia viventia , scilicet plantae , & animalia , humida sunt , & ad aquam pertinent . Propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium . „ Secundo quantum ad effectus Baptismi , quibus competit aqua proprietates , quae sua humiditate lavat ; ex quo conveniens est ad significandam & causandam ablutionem peccatorum : sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris ; & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fornicitis : sua diaphaneitate est luminis susceptiva ; unde competit Baptismo , in quantum est fidei Sacmentum .

„ Tertio , quia convenit ad repraesentanda mysteria Christi , quibus justificamur : ut enim dicit Chrysostomus super illud Joan. 3.

„ Nisi

„ *Nisi quis renatus fuerit* (hom. 24.), sicut in
 „ quodam sepulcro , in aqua submergentibus
 „ nobis capita , vetus homo sepelitur ; & sub-
 „ mersus deorsum occultatur , & deinde novus
 „ sursum ascendit .

„ Quarto , quia ratione suæ communitatis ,
 „ & abundantiaz , est conveniens materia ne-
 „ cessitati hujus Sacramenti , potest enim ubi-
 „ que de facili haberi . “ Hisce consona scri-
 bant etiam S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 2. at
 1. q. r. & Ven. Scotus in 4. d. 3. q. 3. ac
 demum *Catechismus Romanus* in p. 2. c. 2.
 n. 10.

Objicies 1. Relata superius Christi verba a-
 pud Joam. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fueris ex*
aqua , & Spiritu Sancto , &c. non proprio in
 sensu accipienda sunt , ut elementum naturalis
 aquæ significant ; sed metaphorice sunt expos-
 nenda , denotantque ipsum Spiritum S. qui in-
 star aquæ hominem interius laret , & myndet .
 Pierumque enim particula & non distinguit ,
 sed dumtaxat exponit ; uti exempli gratia pa-
 ret ex Act. 17. v. 25. ubi illud *vita & inspi-*
ratio , idem est , ac *inspiratio vita* ; illudque
 ad Coloss. 2. v. 8. per philosophiam & inanem
 fallaciam , idem sonat , ac per inanes philosophicas
 fallacias . Ergo illud quoque , *ex aqua & Spi-*
ritu , idem significare potest , ac *ex Spiritu aquæ* ,
 idest ex Spiritu instar aquæ mundante . Imo
 quod hæc esse debeat horum verborum significa-
 tio , constat ex simili textu Matth. 3. v. 11.
Ipse vos baptizabis in Spiritu S. & igni : ubi
 sane vox ignis metaphorice sumitur , ac desi-
 gnat ipsum Spiritum S. qui tanquam ignis cora-
 da purificet , illuminet , inflammet , & ad co-
 lectio[n]em trahat .

20 De Theologicis Institutis

Resp. quod quamvis Scriptura duobus terminis rem eandem per particulam & quandoque designet; perperam tamen ad Christi verba Joan. 3. v. 5. obseruatio istae aptetur, quasi aqua & Spiritus idem omnino significantur. Pari quippe modo quis contendere posset, per hæc nomina, *Patris*, & *Fili*i, & *Spiritus Sancti*, significari tantum trinem unam eandemque personam. Loci ergo circumstantia, subiecta materia, Ecclesie totius praxis, constansque traditio expendendæ sunt, ex quibus legitimus verborum Christi sensus apparet; ostenditurque, quod eo in textu particula & distinguendi vim habeat, & aquæ nomen veræ ac naturalis aquæ denotet elementum. Sane cum Nicodemus hæsitasset ad Christi sententiam, *Nisi quis renatus fuerit dasso*, eam intelligendo de renascentia carnali; ac Dominus respondisset de alia longe dispari se loqui, de ea nimis, qua homo ex aqua & Spiritu Sancto renascitur: Cumque & ista nondum Isæelita fatis perciperet, addidit Christus se de spiritualibus loqui, & possa Spiritum etiam per aquam hominem regenerare. Quid his mysteriis erat opus, nisi de aquæ Baptismate Dominus pertractasset? Sat erat reponere, *Solo Spiritu homo regeneratur.*

Adnotat præterea Etsius inter verba Matth. 3. & verba Joan. 3. non leve interesse discrimen; in priori enim textu ignis postponitur Spiritui Sancto, in posteriori aqua præponitur. Ex quo datur intelligi ibi quidem ignis vocabulum adjuctum, tanquam x̄jus quod antecedit determinationem, qua nimis certa Species S. proprietas designetur; hic vero aquata

pe.

posterioris nominatam, ne per eam intelligatur aliqua Spiritui S. attributa proprietas, sed in sua propria significatione sumatur. Unde, ut supra notavimus, Christus statim post habitum cum Nicodemo sermonem, ut traditam a se doctrinam factò probaret, in Iudeam digrediens baptizavit in aqua.

Tandem nemo ex SS. Patribus ita Matthæi textum exposuit, ut ignem esse diceret Baptismi materiam; sed illum interpretati sunt vel de linguis igneis super Apostolos delapsis in die Pentecostes, vel metaphorice (uti dictum est) de proprietate Spiritus S. qui instar ignis corda purifacet, vel de probatione ac purgatione in extremo iudicio futura per ignem.

Objicies 2. Ad Sacramenti materiam requiritur analogia cum ablutione animarum: atqui ejusmodi analogia inest cuique liquori, ac vino praesertim, quo absterguntur vulnera & sanantur. Hinc in Tomo 6. Conciliorum Labbei pag. 1652. extat rescriptum Stephani III. vel, ut alii volunt, II. qui de Presbytero, a quo baptizatus fuerat iofans vino, ait: *Si in vino quis propterea, quod aquam non inveniebat, periclitansem infans baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo.*

Resp. Sacramenti materiam non solum habere analogiam cum re quam significat, sed divinam etiam institutionem; cum Sacramentum sit signum divinitus institutum: non enim penes hominem est sensibili signo efficaciam gratiæ alligare, neque idem signum immutare a Christo praescriptum. Christus autem, uti ex ante dictis apparet, aquam solam instituit

22. De Theologicis Institutis

pro Baptismi materia; cuius quidem rei ratio est ipsius sola voluntas; congruentias vero superius adduximus, addimusque ex S. Thoma in citato loco ad 2. quod vinum, & oleum, aliisque liquores, non communiter assumuntur ad usum ablutionis, sicut aqua. Nec etiam ita perfecte abluunt, quia ex eorum ablutione remanet aliquis infectio, quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. Illa etiam non ita communiter & abundanter habentur, sicut aqua.

Ad rescriptum Stephani dicimus, nonnullos ea responsa tribuere, non Romano Pontifici, sed Stephano Tornacensi Episcopo; cum ad calorem Codicis Laudunensis ita legi affirment: Finis definitionum Stephani Papae Tornacensis. Si ergo adquisitus qui primus haec edidit ex eodem Codice, animadverterit eadem responsa a Stephano Papa II. privatim data Monachis Britaniacensibus; proindeque non Pontificiam definitionem, sed privatam opinionem continere. In Tomo 6. Conciliorum adnotatur, ibi a librario glossa temere intrusum; quo delecto absalvitur quidem Presbyter ab excommunicatione, sed baptismus minime probatur. Unde post citata verba subjungitur: Si aqua adfuit praesens, ille presbyter excommunicetur, & paenitentia submitatur, quia contra Canonum sententiam agere presumpsit. Postremo quibusdam omnino suppositum esse viderur illud Stephani responsum, cuius nec Collationes Canonum, nec Scriptorem aliquem meminisse invenitur: neque credibile est, Romanum id ignorasse Pontificem, quod vel minores Clerici norunt, nempe quod Baptismus in sola aqua sit conferendus.

Quod

Quod de Responso Stephani dictum est, dicendum est pariter de alio Siricci, citato in Poenitentiali Theodori, & in quibusdam Codicibus a Tournelio laudatis: cum enim non inveniatur in Romanis Archivis, neque in aliqua Canonum collectione, neque citati Codices consentiant, nunquam denique in Romana Ecclesia opinio de baptismate in vino obtinuerit, immo nec aetate Siricci fuerit audite jure merito affirmamus Siricci Responsum vel adulteratum esse, vel spurium.

Objicies 3. Narrat Joannes Moschus in Prae-
sto Spirituali c. 176. & post eam Nicephorus
in lib. 3. H. E. c. 37. quod cum Iudeus per
locum arida iter faceret, ac fabito deftientibus
viribus moriturus crederetur, ter superflua in
eum arena baptizatus est: ac per banc tam in-
solitam, & admirandam sanctorum mysteriorum
initiationem, imbecillitate omni tanguam vinculo
lo quodam solatus, validius quam aliis, iter fecit.
Ex hoc ergo miraculo demonstratur, valere
Baptismum etiam sine aqua collatum.

Resp. ex citata narratione patere, quod ba-
ptismus hujusmodi nullus & iritus declaratus
fuerit. Ecclesiastico judicio, & quod Iudeus a-
qua subinde fuerit baptizatus. Scribit namque
Nicephorus: Postquam autem domum sunt re-
versi, remnam ad Dionysium Alexandriae Epi-
scopum retulerunt. Ille vero admiratione stupens
Ecclesiam consuluit, cur viuum est aqua insuper
ad eum modum initiatum iuxta Ecclesie tradi-
tionem abluerendum esse. Idem etiam refert Mo-
schus. Ergo Iudeus ille convuluit, non quia
validus fuerit baptismus in arena collatus, sed
quia fidem habuit votumque Baptismi.

24. De Theologicis Institutis

Hic obiter nota , errasse Nicephorum circa Dionysii personam . Scribit enim ille factum contigisse sub Marco Aurelio Antonino : at hoc imperante fuerunt Episcopi Alexandrini Celdion , & Agrippinus , non Dionysius , qui sed sit imperante Philippo ; quare si ad tempora Marci Aurelii hæc historia esset referenda , contigisset sub Dionysio Corintheiorum Episcopo , ut visum Baronio ad annum 181. num. 2. Denique Moschus , qui omnium primus hanc scriptit historiam , refert sub Dionysio Episcopo Ascalonita id accidisse ; quia vero adjungit , narratum fuisse factum *Alexandriæ ab Andro Abbate* ; inde erroris causa patet , cur nempe Nicephorus pro Dionysio Ascalonita scripsiterit *Alexandrinum*.

Jam ergo patet ex dictis , omnem & totam naturalem aquam esse remotam Baptismi materiam : naturalis vero aqua illa censetur , quæ fluida est , & cui artificialis opponitur . Valeat ergo Baptisma collatum in aqua maris , fluminis , pluviz , resoluta ex nive , glacie , grandine , pruina , transfusa per cineres , per balnea sulphurea , aut alia mineralia loea , exhibita ad carnes , pisces , & alimenta alia decoquenda ; nisi tamen elementum istud tot diversi generis partes imbiberit , ut suam speciem commutaret.

Patet præterea irritum esse Baptismum datum in aquis , que ex floribus , fructibus , herbis , aliisque rebus hisce similibus exprimuntur . Ut enim notat Scotus in 4. d. 3. q. 3. n. 6. aqua artificialis , et si habeat aliqua accidentia similia ; tamen aliquid , vel aliqua dissimilitudine habet a tota specie , ex quibus sequitur distinctio substantie ; quod ibidem n. 3. probat Subtilissimus

simus Doctor. Ex quo & illud apparet, neque in casu necessitatis extremas fas esse sub conditionali forma aliquem baptizare cum aqua e rosis, aut floribus aliis, aut plantis expressa.

Denique notandum est, quod quamvis aqua qualibet naturalis sit materia sufficiens ad Baptismum; extra tamen necessitatis casum non licet aliam adhibere, quam illam, quæ pridie Paschatis, aut Pentecostes fuerit consecrata. Rident Novatores baptismalis aquæ benedictionem; at prorsus immerito, cum sacra isthac ceremonia ex antiquissima Patrum doctrina descendat. Basilius enim in lib. de Spiritu S. c. 27. benedictionem hanc repetens ex Apostolice traditione inquit: *Benedicimus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis, ac præterea ipsum qui baptismum accepit. Ex quibus scripsi?* Hoc idem docuere Cyrillus Hierosol. in Catechesi 3. Cyprianus in epist. 70. Ambrosius lib. 1. de Sacram. c. 5. Augustinus serm. 352. n. 3. aliquique communiter. Hunc postremo morena comprobant per vetusti Rituales libri, antiqua Baptisteria, ac perpetua tandem praxis universalis Ecclesiaz.



CA-

C A P U T III.

De proxima Baptismi materia.

Diximus in superiori capite aquæ usum, si-
ve corporis ablutionem a Scholæ Theo-
logis proximam Baptismi materiam appellari.
Tribus autem modis fieri potest ablutio; vel
nempe per corporis immersionem in aqua, vel
per effusionem, vel aspersionem aquæ supra
corpus. De triplici hoc abluendi modo nunc
quaeritur, quinam illorum adhibendus sit, ut
Baptisma tum valide, tum licite conferatur.

Græci schismatici, antesignano Marco Ephe-
so, postquam soluta fuit Synodus Florentina,
inter ceteras separationis suæ caufas istam et-
iæ objectarunt, quod Baptismus ab ipsis jux-
ta Apostolicam traditionem tria mersione col-
latus, alias sit a Baptismo, quem infusione u-
tens Romana præbet Ecclesia; ideoque hanc a
vera fide descivisse dixerunt, scribente ad E-
phefios Paulο c. 4. v. 5. *Unus Dominus, una
fides, unum baptisma.*

Propositio 1. Valet Baptismus sive immersio-
ne, sive infusione, sive aspersione collatus.

Probatur. Valet Baptismus, in quo accedit
verbum ad elementum, & vere corpus ablui-
tur, ut interior peccatorum ablutio designetur:
atqui id semper in Baptismo contingit, sive
immersione, sive infusione, sive aspersione con-
fera.

feratur. Lege S. Thomam in p. 3. q. 66. a. 7.
& S. Bonaventuram in 4. d. 3. p. 2. a. 2. q. 2.

Deinde valet Baptismus, quem valere usu suo semper Ecclesia declaravit: atqui quovis seculo Ecclesia Baptismum per triplicem ritum illum adhibuit. Et de immersione quidem nullum oriri potest dubium, cum certissima apud Patres extensus bujuscce rei vestigia. Vide Tertullianum de corona mil. c. 3. Basilium de Spiritu Sancto c. 27. Ambrosium lib. 2. de Sacram. c. 7. Hieronymum adversus Luciferianos, aliosque ad unum omnes. Hunc autem baptizandi ritum usque ad 13. seculum communiter fuisse receptum, apparet ex S. Thoma, qui in loco supra citato scribit, *tutius esse baptizare per medium immersionis, quia hoc habet communior usus*. Scribit etiam S. Bonaventura ibidem: *Mores communis Ecclesie est baptizare immergendo.*

At quamvis ritus baptizandi per immersionem tunc prævaluerit, non fuit tamen indispensabiliter observatus. Nam i. Clinicorum, sive decubantium in lecto præ infirmitate, baptismum satum habuit S. Cyprianus epist. 76. ad Magnum, et si immersione minime conferetur: *Nos, inquit ille, quantum concipit mediocritas nostra, estimamus in nulo mutilari, & debilitari posse beneficia divina.* . . . Nec quenquam movere debet, quod aspergi vel perfundit uidetur agri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura Santa per Ezechiel Propheta loquatur, *O dicat: (c. 36. v. 25. iuxta Lxx.) Et aspergam super vas aquam mundam.*

Clinicorum quoque baptismata infusione, aut aspergione collatum probavit Neocalasienfe Con-

28 *De Theologicis Instituis*

cilium anno 314. can. 12. Et Antissiodorensis
anno 578. can. 18. necnon Matriconensis 11. an-
no 585. can. 3. ac denique Parisiensis IV. anno
829. c. 7. &c.

Præterea cum Baptismus maximæ sit neces-
sitatis, cumque verisimile non videatur, datum
illum immersione fuisse, dum aut animam a-
geret parvulus, aut aquæ copia deficeret, aut
ad unum Sacerdotem immensa baptizandorum
multitudo confluerebat; tunc infusionem, aut
aspersionem ministros adhibuisse dicendum est.
Hinc ex Actis S. Laurentii discimus, ipsum
aqua ex urceo effusa Romanum militem ba-
ptizasse; ac simili ritu collatum Baptisma con-
stat ex Actis etiam S. Gratiliani, S. Bacchi
Junioris, & S. Luidgeri Episcopi, paterque,
ex aliis monumentis, quæ ab Eruditis non pau-
ca recensentur. Insignes etiam Theologi cum
SS. Thoma, & Bonaventura, & Ven. Scoto
probabiliter arbitrantur, Petrum Apostolum
aspersione usum fuisse, quando una die tria mil-
lia hominum, & alia die hominum quinque
millia baptizavit, ut legitur Act. 2. v. 41. &
4. v. 4.

Denique vero magis simile videtur, asper-
sionem usurpare Liberum, dum in Pentecoste
quatuor millia & duodecim promiscui sexus
salutari Baptismo expiavit, ut ex Actis Da-
masi refert Paulus Aringhus Romæ subterr.
pag. 223. Voluminis 1.

Propositio 2. Perinde est ad Baptismi vale-
sem, si per ablutionem vel trinam, vel uni-
cam conferatur.

Id descendit ex dictis. Quocunque enim mo-
de conferatur Baptismus, si materia, & forma
ser-

Terventur, ratus erit, ac validus: neque necessum est, ut una, vel trina immersione, infusione, aut aspersione mysterium Trinitatis, aut Christi passio designetur: tum quia Sacramentum est signum gratiae, non praedicatione dumtaxat fidei; gratiam vero monstrat quocunque ablucio: tum quia fides, si baptizetur adiutus, ab eo petitur, & exigitur, tanquam prævia dispositio; & si ringatur infans, id supplet fides gestantium, aut sanctæ matris Ecclesie.

Deinde per solam formam significatur Essentiaz unitas vocabulo numeri singularis, *In nomine*; significatur & Trinitas Personarum, distinctione illarum enumeratione, *Patri*, nempe, *& Filii*, *& Spiritus S.* Valet ergo Baptismus sive trina, sive unica ablutione collatus. Mors etiam Christi trina ablutione monstratur, cum Christus triduo in sepulcro permanserit; monstratur & unica ablutione, cum semel fuerit ille sepultus; utque S. Thomas affirmat in p. 3. q. 66. a. 7. ad 2. Christi sepultura aliquo modo semper representatur, quocunque modis ablucio, eo ipso quod *corpus hominis*, vel aliqua pars ejus, aquæ supponitur, sicut *corpus Christi sub terra fuit positum*.

Ad hæc accedit, quod circa sexcentesimum annum Hispaniarum Episcopi trinam immersionem deseruerunt occasione Arianorum, qui ex ea argumentum petebant ad oppugnandam Sanctæ Trinitatis consubstantialitatem; inducuntque ab Hispanis consuetudinem Magnus Gregorius approbavit lib. 1. epist. 43. ad Leandrum Episcopum Hispalensem; ubi post multa, quæ etiam a Gratiano relatæ sunt in canone,

30 De Theologicis Institutis

note, *De Trina*, de Consecrat. dist. 4. ait Si Pontifex: *Reprobensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus versionibus personarum trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari.* Sed quia suncusque ab hereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dum mettones numerant, divisionem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vise glorientur. Gregorii iudicio adhæsit Concilium Toletatum IV. anno 633. in can. 6. alias §. quem inter decreta retulit Gratianus in civitate dist. 4. cap. *Propter utandum.* Trina igitur immersio, sicut & infusion, ac aspersio trina, necessaria minime est, ut Baptisma validum conferatur.

Propositio 3. Ut Baptisma licito detur, debet baptizans eum abluendi modum servare, quem Ecclesia consuetudo requirit.

Probatur. Uti ex dictis in præcedente libro c. 19. colligitur, quilibet Minister in solemnis Sacramentorum administrationes præscriptos ab Ecclesia ritus servare tenetur; ut ergo Baptisma licite conferatur, debet Minister ad Ecclesiam, cuius Minister est, Rituales libros attendere, ac juxta præscriptam ab eis normam abluere: neque privata auctoritate eidem licet præceptos ritus apt. contempnere, aut pro libito omittere, aut in novos alios immutare. Hinc peccaret Gracchus Minister, qui non per immersionem, sed per infusionem, vel aspersionem Baptisma conferret, nisi necessitas aliter postularet; peccaretque Latinus duac immersionem adhibens, nisi vel necessitate urgente, vel par-

TICU-

ticularis Ecclesiae cui adscriptus est, ritu aliter imperante. Nam & apud Latinos pro Ecclesiis consuetudine non tantum per infusionem, verum etiam per immersionem Baptisma confortur. Huc faciunt quae Rituale Romanum habet in tit. de forma Baptismi: *Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sive in aqua, pro Ecclesiis consuetudine retineantur.* Ex quo & illud apparet, perperam affirmare Grecos, quod immersionis ritus a nobis fuerit eliminatus.

Objicies i. contra i. propos. Christum immersione baptizatum non obscure demonstrant ea verba Matth. 3. v. 16. *Baptizatus autem Jesus confessim ascendit de aqua.* Si enim ascensit; ergo ante descenderat: proindeque in hoc textu non infusio, non aspersio, sed immersio declaratur. Atqui non aliter baptizandi sumus, quam baptizatus est Christus.

Patres insuper baptizandi ritum per trimam immersionem ab Apostolorum traditione descendisse dixerunt. Ita namque afferit Tertullianus in lib. de corona militis c. 4. Basilius in lib. de Spir. S. c. 27. Hieronymus adversus Luciferianos, &c. Nefas est igitur huic ritum non servare.

Postremo cum dicat Apostolus ad Ephes. 4 v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma;* cumque prioribus Ecclesiis seculis omnes, nunc vero multi immersione baptizent; profecto consequitur, quod sine immersione validum esse Baptisma non possit.

Resp. quod etsi Christus per immersionem baptizatus sit, aliosque simili modo baptizaverit; ejus tamen exemplum nobis necessitatis legem

32 De Theologicis Institutis

gem non imponit, cum præceptum ita faciendi nequaquam indixerit. Plura enim Christus in conficiendis ac dispensandis Sacramentis gesuit, quæ ad illorum substantiam non pertinere nemo negaverit. Ita Eucharistiam sero post coenam in azymo pane confecit, ac Discipulis sub dupli specie distribuit: ita denique in Jordane baptizatus est; quin tamen inde sequatur, quod & nos similiter agere debeamus.

Distinguendæ præterea sunt traditiones, quæ ad Sacramentorum substantiam, & fidei morumque regulam spectant, ab iis quæ Ecclesiæ regimen, & disciplinam dumtakat, ritusque respiciunt; & quemadmodum primi generis traditiones inviolate sunt custodiendæ, ita postremæ pro locorum temporumque varietate mutantur. Hinc ex supra dictis apparet, Veteres in Baptismi collatione non semel ritum adhibuisse diversum.

Ad ultimum respondet S. Thomas in p. 3. q. 66. a. 7. ad 1. quod ea quæ sunt per accidens, non variant substantiam rei. Per se autem requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam; unde & baptismus lavacrum nominatur, secundum illud Epes. 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismu; & ideo talis diversitas non tollit unitatem baptismi.

Objicies 2. Canon 49. ex iis qui Apostoli ci dicuntur, ita habet: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, non tria unius mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptismum, qui datur in mortem Domini, deponatur.* Irritum ergo pronunciat Baptismum fine trina immersione collatum.

Deinde non solum Magnus in epist. ad Cypria-

prianum, sed etiam Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. c. 43. dubitat de validitate baptismatis Clinicorum; scribit enim de Novatiano in lecto aquæ perfusione baptizato, *In ipso, in quo jacebat lectulo perfusus baptismum suscepit, si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est.*

Accedit, quod etsi Cyprianus valere ejusmodi baptismata responderit, rem tamen apud omnes certam non esse minime dissimulat, & unicuique permittit facere ac sentire quod vellet: scribit enim: *Quantum fide concipere & sentire nobis datur, mea sententia haec est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege, & jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nibil consecutos eo quod aqua salutari tantum perfusi sunt, sed inanes & vacui sunt, non decipientur, ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur,*

Denique Eunomius omnium primus simplicem immersionem invexit, teste Theodoreto in lib. 4. hæret. fab. cap. 3. ob quam sane causam Concilium CP. I. eos rebaptizari præcepit.

Resp. ad 1. eo canone non declarari nullum Baptismum sine tria mersione datum, sed deponi dumtaxat, qui illam adhibere nolverit; idque decretum est, tamen propter vigentem tunc Ecclesiæ disciplinam, tum propter serpentem quorundam errorem baptizantium non in nomine Trinitatis, sed in nomine solius Christi pro nobis mortui: illi enim idcirco unica tantum mersione utebantur, quia circa mysterium Trinitatis errabant, formamque Ba-

Tom. XII.

C

baptisma-

34 *De Theologicis Institutis*

ptismatis corrumpebant. Ita colligitur ex se-
quenti canone 50. *Si quis Presby'er.*

Ad alterum. Cyprianus Magni dubitationem
aperte solideque dispunxit; quamvis temperan-
ter modesteque se gerens diversam opinionem,
diversumque ritum minime reprobaverit.

Cornelius nunquam Novatiani baptismum
erratum esse putavit, alioquin illum rebaptizan-
dum fore dixisset. Ejus ergo baptismum dupli-
ci ex causa improbavit; primo videlicet pro-
pter irregularitatem annexam, qua tamen non
obstante per gratiam Episcopi Novatianus ad
Presbyteratus Ordinem promotus fuerat con-
tra sacros Canones & Ecclesiaz disciplinam.
Non enim licebat quemquam eorum, qui urgen-
te vi morbi in lectulo perfusi erant, in Clerum
assumi; quia, ut ait citata superius Synodus
Neocæsariensis can. 12, non ex proposito fidei
illorum, sed ex necessitate descendit; idest, quia
ex necessitate ac metu mortis potius, quam
ex propria electione baptismum suscipere vi-
debantur. Secundo Cornelius Novatiani baptis-
tum ex eo minime probavit, quod ille neque
postquam liberatus fuit a morbo, Confirmatio-
nem, & Eucharistiam pro usitato tunc Eccle-
siaz more receperat.

Tandem in Eunomio reprobatum est bap-
tisma, quod cum una unctione, ejus for-
mulam vitiabat. Dicebat enim, teste Theodo-
reto in citato loco, non importere ter mergi eum,
qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed
semel baptizare in mortem Christi. Constat et-
iam ex S. Epiphonio hær. 76. Eunomianos
formulam defravasse.

Hic tandem advertimus, Ministrum baptismi
de-

debere Baptizandi corpus immediate aqua contingere, ut moraliter censeatur ablutum. Quare sufficiens non estimatur ablutio, qua Baptizandi corpus una, vel altera aquæ gutta perfunditur; sicuti neque illa sufficiens est, qua Baptizandi vestes tantum, vel capilli tinguntur; non vero ipsa immediate caro, vel cutis. Legge Scotum in 4. d. 3. q. 3. Ut vero valeat Baptisma, sat erit, quod notabili aquæ copia abluatur caput, quod humani corporis pars præcipua est, & in quo omnes sensum facultates vigent, suaque exercent officia: quare Theologi pro certo habent, eum graviter peccare, qui, cum possit caput ablucere, alteram corporis partem tingit, etiam pedem, aut brachium. Necessitate tamen urgente, ex. gr. si materno ex utero puerulus manum unam emitteret, perfundenda est pars, quæ appareat juxta Ritualis Romanus præscriptum in tit. de baptizandis parvulis, ubi hæc habentur: *Nemo in utero matrum clausus baptizari debet: sed si infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si virus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. Si vera ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Ex hac itaque præscriptione colligitur, non constare de validitate Baptismi, si alia a capite pars abluatur; quandoquidem forma conditionalis adhibenda non est, nisi re diligenter peruestigata probabilis subest dubitatio, ut recte monet idem Rituale rite precedenti, & Catechismus Romanus p. 3.

36 *De Theologicis Institutis*

c. 2. num. 57. quod & nos superiori in libro
notavimus. Neque oppositum probat Ecclesia-
stica sepultura eo modo baptizatis concessa :
hanc enim jure illis impetratur Ecclesia , quia
nemo in dubiis æquo, iustoque privatur.

C A P U T IV.

De forma Baptismi.

VErba quibus consecratur aquæ elementum,
Baptismi formam appellare Theologi con-
sueverunt. Apud Launos autem a pluribus re-
tro seculis hæc forma viget: *Ego te baptizo in*
nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
Amen. Ita namque legitur in Sacramentario
Gregorii Magni , & in Decreto Eugenii IV.
pro instructione Armenorum , & in Ritualibus
Gregorii XIII., & Pii V. quibus consentit uni-
versa Occidentalis Ecclesia. Cum vero Grego-
rius formam istam non primus invexerit , sed
descripscerit tanquam communi Latinorum usu
receptam ; profecto consequitur , eam antiquio-
rem esse Gregorio , & a primis seculis usurpatam.

Quod insuper hæc sit conveniens forma Ba-
ptismatis , ita perspicue S. Thomas ostendit in
p. 3. q. 66. a. 5. *Baptismus per suam formam*
consecratur, secundum illud Ephes. 5. Mundans
eam lavacro aquæ in verbo vitæ, & Augustinus
dicit in lib. 6. de bapt. contra Donatistas c. 25. quod
Baptismus verbis evangelicis consecratur; & ideo
opertet, quod in forma baptismi exprimatur causa
ba-

baptismi. Est autem ejus duplex causa. Una quidem principalis a qua virtutem habet, quae est Sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet Minister, qui tradit exterius sacramentum. Minister autem tangitur, cum dicitur, Ego te baptizo; causa autem principalis, cum dicitur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde hæc est conveniens forma baptismi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Græci vero ab antiquis quoque temporibus ea forma utuntur: *Baptizatur servus, vel serua Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Valere hanc Baptismi formam constat ex Eugenio IV. in supracitato Decreto, ex Leone X. in Bulla, *Accepimus nuper, emanata die 18: Maji anno 1521. & ex Clemente VII. in Bulla, Provisionis nostræ. die 26. Martii anno 1526.* Deinde Ecclesia Latina baptizatos a Græcis iterum non baptizat; ideoque illorum Baptismum uti legitimum approbat, sub tali forma collatum. Denique a Latinorum forma hanc Græcam substantialiter non differre certissimum est; quoniam & ista tingendi exprimit actionem, & explicitam Trinitatis invocationem includit: sicut ergo Latina, ita & Græca forma, sua validitate non caret.

Quærunt hoc in loco Theologi, num ad Baptismi valorem necessaria sint omnia verba, quibus ejusdem forma componitur. Quæstio autem non moveretur de pronomine *Ego*; illud enim satis exprimitur in verbo *Baptizo*: unde in probata Græcorum formula minime continetur. Neque dubium est de particula *Amen*, cum illa sit quasi acclamatio Sacramenti jam

38 De Theologicis Institutis

peracti. Primo itaque disputatione de pronuntiatione verbi *Baptizo*; quam olim nonnulli Doctores, quos inter sunt *Præpositivus*, & *Petrus Cantor*, & *Stephanus Tortoniensis Episcopus*, existimarent ad formæ essentiam non requiri.

At vera communisque sententia tradit, ad Baptismi validitatem necessarium esse verbum, quo baptizantis actus exprimitur, nempe *Baptizo*, vel *Baptizatur*. Ita sane docuit Alexander III. Extra de Bapt. & ejus effectu cap. Si quis inquiens: *Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; & non dixerit, Ego te baptizo &c. puer non est baptizatus.* Item Alexander VIII. die 7. Decembris anno 1690. hanc propositiōnem numeri 27. proscriptis: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, prætermisso illis, Ego te baptizo.* Hujuscce autem rei congruam rationem assignat S. Thomas in laudato superiorius loco ad 2. inquiens: *Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc, quod dicatur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. 5.* Et ideo, si non exprimatur actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum.

Scribit etiam hac de re S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. quod sicut dicit auctoritas Alexandri III. supra relati, verbum baptizandi est de necessitate formæ. Ratio autem quare est de necessitate, est institutio. Ratio autem institutio-

nis est, quia intentio est necessaria sacramento: & hoc est sacramentum necessitatis, & est ad alterum. Ideo propter periculum defectus intentionis, proprio verbo expressa est ibi in forma.

Hinc si quis objecerit: In Sacramento Eucharistiae necessaria est intentio, & tamen in forma nequaquam exprimitur; idem igitur dici poterit de Baptismo: Reponemus cum eodem S. Doctore, quod Eucharistia non est sacramentum necessitatis, & præterea non est ad alterum, & iterum fit cum majori solemnitate; ideo intentio ibi colligitur, non evagatur tunc, præterea non est necesse exprimi verbo: & ideo non oportuit institui, nec per consequens observari. Alia ratio hujus est, sed infra dicetur, cum agatur de forma Eucharistie.

Sed opponunt. Non oportet, ut qui actum aliquem exercet, de ipso actu faciat mentionem; sicuti non oportet, ut qui docet, dicat, *Ego vos doceo*. Atqui Christus docendi simul & baptizandi præceptum dedit, inquiens Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Ergo quemadmodum Minister dum docet, non debet dicere, *Ego vos doceo*; ita neque dum baptizat, dicere debet, *Ego vos vel te baptizo*; sed sufficit, ut baptizandi actionem exerceat.

Resp. ex S. Thoma in 4. d. 3. q. 1. a. 2. q. 1. ad 4. ad valorem Baptismi requiri in Ministerio intentionem faciendi quod Christus instituit, & Ecclesia facit; quæ quidem intentio non requiritur in doctrina: & ideo oportet in Baptismo, quamvis non in doctrina, exprimi omnia, quibus ad actum illum determinetur intentione.

40 De Theologicis Institutis

Deinde alii actus ex suo tantum exercitio efficaciam habent; sed actus baptizandi habet efficaciam ex forma verborum: *O quia talis efficacia est sacramentalis, idcirco oportet, quod verba formae significando, efficaciam actui praebant.* *O ideo oportet baptizantem actum suum verbo significare, quamvis in aliis actibus non reperiatur.*

Tandem in iis, quæ a divina institutione dependent, neque in Scriptura inveniuntur expressa, Traditione certam nobis dijudicandarum rerum regulam exhibit; alioqui, neque necessaria esset in Baptismo prolatio verborum, *In nomine Patris, &c.* quoniam in citato Matthæi capite Christus expresse non ait: *Ite, hæc verba proferte: quod si dicamus, plurimum profecto gestient cum Socino plures Heterodoxi.* Quod autem ex Traditione descenderit, quod in Baptismate verbum actum ablutionis exprimens usurpetur, ex constanti ac perpetua universæ Ecclesiæ consuetudine demonstratur.

At altera cum hereticis controversia gravior est, num nempe ratum sit Baptisma abique expressa trium divinarum Personarum invocatione?

Socinus in disput. de Baptismo c. 2. negat illis Christi verbis apud Matthæum: *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* contineri præceptum, formamque Baptismi; ac consequenter affirmat hunc ratum esse, etiamsi Christi solius nomen pronuntietur. Hoc postremum tenuit etiam Magister in 4. d. 3. lit. E, & Cajetanus in Commentariis Summæ, ex quibus tamen jussu Pii V. sententia isthæc expuncta fuit; eamque antiquiores nonnulli citati a Domini-

minico Soto in 4. d. 3. a. 6. tradiderant.

Quidam præterea arbitrantur, Apostolos utique ex legitima dispensationis causa, nempe ad majorem nominis Christi commendationem, & celebritatem apud primos Christianos promovendam, in solo ejus nomine baptizasse; sed sublata deinde ea causa dispensationis, affirmant, non amplius ratum esse Baptisma, nisi sub distincta trium divinarum Personarum invocatione conferatur. Ita inter alios autumarunt S. Thomas, & S. Bonaventura, quibus posterioris ævi quamplurimi adhæserunt; nunc autem oppositum tradit magis recepta & communis opinio, quam sequuntur Bellarminus, Suarez, Estius, Juenin, Tournelius, Berti, aliisque ex qualibet Schola Theologi.

Propositio 1. Non valet Baptismus absque expressa SS. Trinitatis invocatione collatus.

Probatur. Baptisma non valet, nisi conferatur verbis a Christo præscriptis: cum enim Sacramentorum essentia ex Christi voluntate dependeat, valere non possunt, nisi eo ritu, quem Christus præscripsit, conferantur. Atqui præscripsit Christus, ut Baptisma conferretur sub expressa Trinitatis invocatione; ait enim Matth. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* quo in loco Baptismi formam a Christo fuisse præscriptam, constans & perpetua Patrum omnium traditio docet.

Et sane id Tertullianus afferuit in lib. de Bapt. c. 13. scribens: *Lex tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, docete omnes nationes, tingentes eas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Cy-

42 De Theologicis Institutis

Cyprianus in epist. ad Jubajanum ait: *Dominus post resurrectionem discipulos suos mittens, querens admodum baptizare deberent instruxit, & docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, ite ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Insinuavit Trinitatem, cuius sacramento gentes baptizantur.*

Ambrosius de Mylt. cap. 4. num. 20. ita de Catechismo loquitur: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum.*

Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 15. ait Baptismum consecrari Evangelicis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et in lib. 6. c. 25. Ceterum quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic diffuerint?*

Idem doceat inter Latinos alios Hieronymus lib. 4. in Matth. & Fulgentius de Incarnat. c. 11. ex Græcis autem Basilius in lib. de Spir. S. c. 12. Athanasius epist. 4. ad Serapionem, Chrysostomus in epist. ad Ephesios hom. 20. Cyrillus Jerofol. Catech. 16. aliique.

Ex repetitis etiam Ecclesiast d finitionibus evidenter ostenditur necessariam esse plenam verborum illorum prolationem. Arelatense Concilium I. anno 314. can. 8. *De Arians, alias, De Arianis, præcepit, ut rebaptizentur, qui baptizati non fuerint in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Nicagnum I. iussit can. 8: rebaptizandos non esse Catharos, sive Novatianos; rebaptizandos autem Paulianitas, sive Samosatenes can. 19. præcepit: hujuscet vero discriminis ratio est, quia, ut scribit Innocen-*

Lib. XXV. Cap. IV. 43

centius I. in epist. 22. *Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant, & Novatiani iisdem tremendis venerandi que nominibus baptigant.* Eandem proferunt rationem Augustinus in lib. de hæref. n. 44. & Gregorius in epist. 67. lib. 11. relatus a Gratiano cap. *Ab antiqua, de Consecr. dist. 4.*

Hinc merito alii canones præscripsero, ut absque ulla ambiguitate in Sancte Trinitatis nomine baptizarentur, qui baptizati essent solummodo in nomine Domini; atque ubi id non esset plane compertum, interrogarentur venientes ab hærefi. Vide citatam dist. 4. de Consecr. cap. *si revera, & Multi sunt, ex epistolis Petriagii deprompta, necnon cap. Hi vero heretici, petitum ex epistola prælaudata Gregorii, ac denique cap. Retulerunt nuntii, ex Zacharia presumptum.*

Postremo perpetuam hanc Ecclesiæ sententiam id confirmat, quod in nullo Rituali, aut Liturgico libro comperies aliquam Baptismi formulam, quæ expressam non habeat SS. Trinitatem, per volutes quantumvis Thomasum, Meinardum, Goarium, Martenium, aliosque.

Hic autem adnota Socini, Vossii, aliorumque sententiam, quæ cuiuslibet formæ necessitatem in Baptismate denegant, hæreticam esse, & Sacramenti rationem audacter oppugnare: at Magister, & Cajetanus ab hærefi sunt immunites, quoniam necessitatem formæ, ejusque præscriptionem profitentes existimarent in nomine unius personæ totam Trinitatem intelligi, innixi difficiili Ambrosii testimonio, quod mox inferius exponemus. Horum tamen opinio, quam nonnulli putant erroneam, iisdem argumentis impetratur. Pro-

44 De Theologicis Institutis

Propositio 2. Probabilior eorum videtur opinio, qui afferunt, neque ab Apostolis sine expressa Trinitatis invocatione collatum fuisse Baptismum.

Et re quidem vera ex dictis appareat, quod Christus Apostolis formam Baptismi præscripsit, inquiens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Atqui imperceptibile est Apostolos tam expressum ac recentissimum Christi mandatum fuisse trasgressos.

Reponunt Adversarii id Apostolos non præstatisse pro libito, sed dispensatione diuina, ut Christi nomen honorificentius redderetur. At dispensationis hujuscce nullum extat vel in Scriptura, vel in Traditione vestigium; merito igitur, uti conficta, rejicitur. Si ergo Christus præcepit Apostolis, ut baptizando gentes, singulas Trinitatis Personas exprimerent, eisque simul injunxit, ut servarent, & servanda præscriberent, *quæcumque mandavit*; dicamus oportet, neque ex divina dispensatione Apostolos in solo Christi nomine baptizasse. Hinc laudati Patres ita afferunt præscriptam Baptismi formam, ut unius Personæ invocatio ab aliarum invocatione nequeat separari, quemadmodum ipsa fides separari non potest; eandemque formam S. Basilius in cap. 12. de Spiritu Sancto *inviolabilem traditionem* appellat: quod perinde est, ac asserere traditam Baptismi formam nulla ratione fuisse mutandam.

Nulla præterea dispensationis causa profertur, cur aliter baptizarent Apostoli. Ad manifestandam enim Christi gloriam, & honorem sat erat Apostolorum prædicatio præmissa Baptismati,

per

per quam probe noverant Baptizandi Jesum Christum esse Deum, ac Mundi Redemptorem, seque initiatione Baptismi in ejus cultum, & religionem adscisci. Deinde etiam si dare vellemus, gloriam nominis Jesu Christi postulasse, ut peculiari ratione exprimeretur in forma Baptismatis, fieri id optime poterat Patris, & Spiritus Sancti nomine non omisso; hoc enim, aut simili modo dici potuisset: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti.* Postremo, si quia Christi nomen Iudeis erat *scandalum*, gentibusque *stultitia*, justam habuissent Apostoli causam baptizandi in solo Christi nomine, sequeretur, eandem & nunc vigere rationem, ac dispensandi motivum, si baptizandi sint Pagani, aut Iudei, Christiani nominis hostes infensi; id autem quam falsum sit, ex dictis in priori propositione sat superque monstratur.

Objicies 1. Constat ex Actibus Apostolorum, quod multi in Christi nomine fuerint baptizati. Ita c. 2. v. 38. legitur: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Et c. 8. v. 12. *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri & mulieres.* Quod & repetitur c. 10. v. 48. & c. 19. v. 5. Atqui verbis illis commonstratur forma Baptismi, non secus, ac verbis Matth. ult. v. 19. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ergo Apostoli in solo Christi nomine baptizarunt.

Resp. nomen aliquando significare virtutem; sicut Act. 4. v. 7. quarentibus Iudeorum Principibus: *In qua virtute, aut in quo nomine factis hoc vos?* respondit Petrus v. 10. *In nomine Domini nostri Jesu Christi.* Quandoque insuper

46 De Theologicis Institutis

per denotat auctoritatem : ita Christus Joan. 3. & 10. dicit se venisse , & operari in nomine *Patris sui* , ejus scilicet auctoritate . Aliquando designat & meritum , ut patet ex Christi verbis Joan. 14. 15. & 16. Si quid petieritis *Patrem in nomine meo* . Præterea nomen pro re nominata passim accipitur , ut Act. 4. v. 12. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus , &c. Quatuor ergo modis intelligi potest Apostolos in Christi nomine baptizasse , nempe vel per virtutem , vel per auctoritatem , vel per meritum ejus , vel in ipso Christo , idest Baptismo , quem Christus iustituit . Hoc posteriori modo dicitur Rom. 6. v. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu , in morte ipsius baptizati sumus* . Et Act. 19. v. 3. quidam in Joannis baptismate baptizati dicuntur . At Christus baptismum instituit conferendum sub expressa Trinitatis invocatione ,

Hinc Pateres aperte docent , non aliter , quam cum invocatione Trinitatis eosdem illos baptizatos fuisse , quorum mentio in Actis habetur . Cyprianus in epist. 73. ad Jubajanum ait : *Jesu Christi mentionem facit Petrus , non quasi Pater omittenteretur , sed ut Patri quoque Filius adjungeretur* . Basilius in lib. de Spiritu S. c. 12. *Neminem , inquit , in fraudem inducat illud apostoli , quod nomen Patris , O Spiritus Sancti mentionem in baptismatis commemoratione frequenter omittit ; neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem* . Hieronymus in c. 3. Joeliis : *In actibus Apostolorum , qui baptizati erant baptismate Joannis in eum qui venturus erat , hoc est , in nomine Domini Jesu ; quia responderunt Paulo interroganti , Sed nec si sit quidem*

dem Spiritus Sanctus novimur, iterum baptizan-
tur, imo verum baptisma accipiunt : quia sine
Spiritu Sancto, & mysterio Trinitatis, quidquid
in unam, aut alteram personam accipitur, im-
perfectum est. Augustinus in lib. 3. nunc 2. con-
tra Maximinum c. 17. Si autem etiam non no-
minatis Patre & Spiritu Sancto, in nomine Ies-
su Christi iussi sunt baptizari, & tamen intel-
liguntur non baptizati nisi in nomine Patris, &
Fili, & Spiritus Sancti : cur non sic audis de
Filio Dei, Omnia per ipsum facta sunt ; ut &
non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum San-
ctum ? Laudatis Patribus consonant alii, quo-
rum testimonia referunt Tournely, Berti, aliq-
ue Thologi. Ex quibus infertur pariter,
quod etsi verba illa, in nomine Christi, mon-
strarent formam, qua tingebant Apostoli ; non
tamen consequens inde esset, baptizasse illos
in solo Christi nomine, Patre, ac Spiritu San-
cto prætermisssis.

Objicies 2. S. Hilarius in lib. de Synodis
n. 85, ait : Ne postremo Apostoli reperiantur in
crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Fi-
lii, & Spiritus Sancti iussi, tantum in Iesu
nomine baptizaverunt.

Ambrosius in lib. 1. de Spiritu Sancto c. 3.
hanc sibi proponit quæstionem : Nunc conside-
remus, utrum quemadmodum in Christi nomine
plenum esse legimus baptismatis sacramentum,
ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato nihil
desit ad mysterii plenitudinem. Quæstionem ve-
ro resolvens adjungit : Rationem sequamur ;
quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit.
Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo
unctus est Filius, & ipsum quis unctus est Fi-
lius,

48 *De Theologicis Institutis.*
lium, & Spiritum Sanctum, quo unctus est,
designasti.

Denique Bernardus in epist. ad Henricum Archidiaconum Aurelianensem interrogatus, an ratum esset baptisma collatum puero perclitanti sub hac forma, *Baptiza te in nomine Dei, & sanctæ & veræ Crucis*, respondet ratum sibi videri, hac ratione producta, *Legimus sane in Actibus Apostolorum, non modo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, verum & in nomine Domini Iesu Christi aliquos baptizatos.*

Resp. Hilarii sensum esse, non deferendum vocabulum ὀμαντίον, quia vitiose a nonnullis sequat intelligi: ad quod commonstrandum varia profert exempla, ut delenda alioqui ex prima ad Timotheum ea verba, *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, quoniam hoc loco Photinus abutitur; aliisque allatis exemplis concludit novum quoque Testamentum abiendum, si ob pravam quoq[ue]ndam intelligentiam aliqua essent suppressa vocabula: quippe si legantur, *exempli gratia*, Actus Apostolici, ubi narratur Apostolos baptizasse *in nomine Iesu*, si nugari velimus, Apostoli reperientur *in criminis*, utpote qui praescriptam a Christo formam minime observarint. Quare ut ex Hilarii scopo liquet, & ex toto orationis complexxu colligitur, idem est, *Tantum in Iesu nomine baptizaverunt, ac Tantum in Iesu nomine baptizasse leguntur*: ut etiam PP. S. Mauri optime adnotarunt. Ergo supponit Hilarius Apostolos baptizasse *in nomine Trinitatis*; alias perperam eorum produxisset exemplum ad probandum non esse vocem aliquam eliminandam, quod

quod nonnulli vitiouse illam intelligant.

Ambrosii testimonium quamvis perdifficile sit, nullatenus tamen Adversariis suffragatur. Primo namque inde sequeretur, non Apostolorum tantum tempore, verum & nunc ratum esse Baptismum solus Christi nomine invocato; cum ratio, quam S. Antistes inculcat, nunc quoque subsistat. Consequeretur etiam validum esse Baptismum *in solo nomine Spiritus Sancti*, de quo præsertim pertractat Ambrosius. Dicendum est itaque cum communiori sententia, quam Tournely, Berti, aliquique sequuntur, Ambrosium non agere de forma Baptismatis, sed de fide eorum, qui Baptisma suscipiunt; eundemque docere, quod Catechumeni, quavis interrogarentur de fide in unam Personam Sanctæ Trinitatis, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent, legitimum Baptismum, ac peccatorum remissionem acciperent. Hanc esse Ambrosii mentem ex tota orationis serie demonstratur. Primo enim profert num. 41. exemplum Æthiopis Eunuchi Reginæ Candacis, qui baptizatus *in Christo plenum mysterium consecutus est*. Legimus vero illum hanc fidei professionem emulisse, Act. 8. v. 37. *Credo filium Dei esse Jesum Christum*. Deinde n. 42. hæc inter alia scribit; *Quavis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minus potestatem, vacuum est omne mysterium*. Quæ quidem verba nequeunt accipi de forma Baptismi; alioquin irritum esset Baptisma *in nomine Trinitatis* ab Ariano collatum; intelligenda sunt ergo de fide suscipientium. Ex quo autem ad fidei professionem sufficiat

Tom. XII.

D

di-

50 *De Theologicis Institutis*

dicere, *Credo in Dominum Jesum Christum*; inde animo retineantur etiam Spiritus Sanctus ac Pater, non sequitur idem ad formam Baptismi sufficere; quippe fides in corde sita est, Sacramentorum autem forma in verbis a Christo præscriptis, quæ virtutem suam non ex proferentium animo, sed ex Institutoris merito assequuntur.

Adductam Bernardi epistolam spuriam esse arbitrantur Estius, Bertii, aliquique non pauci. Et sane restatur Mabillon in præf. ad S. Bernardi opera eandem Epistolam in paucis MSS. inveniri, nec in ulla alio, præterquam in Sorbonico exemplari valde mūtilo, a se reportam. Deinde ratio qua probatur, sacram esse baptismum illum, quia baptizans in eo quod addidit, *sancta & vera Crucis*, manifeste commendaric *Dominicam passionem*, insulsa est, & quæ ex Melliflui ore profici si noa poterat. Non enim latere ipsum poterat, *Crucis nomen* nunquam Baptismi formam constituisse. Quod si cum Tournelio, Juenino, alisque epistola illa Bernardi esse dicatur, cum iisdem Theologis repomenus, improbandam hodie esse sententiam istam, quæ traditione Apostolica, & aliorum Patrum auctoritate refellitur; et si olim quibusdam visa sit utrumque probabilis. Denique Auctor illius epistolæ ait, se breviter respondere, *& sine præjudicio sanius sapientis*; quo liquet ipsum aliis dissentum negotiis non hæc certa assertione dictasse.

Objicies 3. Nicolaus I. cap. *A quodam*, de Consecr. dist. 4. respondens Bulgaris de quibusdam a Judæo baptizatis ait: *Hi profecto si in nomine SS.-Trinitatis, vel tantum in nomine Chri-*

Christi , sicut in Actis Apostolorum legimus , baptizati sunt , (unum quippe , idemque est , ut sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos .

Resp. Romanorum Pontificum sententiam nobis manifestam fieri ex aliis ejusdem dist. Rescriptis , quæ supra citavimus . Nicolai vero judicium irreformabile est in eo , quod statuit legitimate baptizatum a Judæo , vel Pagano , non esse rebaptizandum ; de hoc enim fuerat interrogatus a Bulgaris . De forma vero Baptismatis , de qua interrogatus non fuerat , obiter opinionem suam inseruit , non Romanum Pontificem agens , sed privatum Doctorem , cuius judicium falli potest .

Quamvis autem ex dictis valide communica monstretur eorum sententia , qui assertunt , neque ab Apostolis unquam collatum fuisse Baptismum in solo Christi nomine ; non tamen iude inferendum est , contrariam assertionem omni penitus probabilitate carere . Constat enim antiquiores Scholasticos in oppositam conspirasse sententiam , ac præsertim S. Thomam , S. Bonaventuram , & Ven. Scotum , quibus subscripti discipuli numero , doctrinaque per celebres . Præter vero Scholasticos non desunt alii , qui in eandem sententiam devenerunt , ac præcipue Nicolaus I. supra laudatus , a quo insertam Rescripto ad Bulgarios opinionem , quæ nono seculo non esset recepta , affirmare non possumus . Inter Patres autem Ferrandus Diaconus in epist. ad Anatolium aperte sic ait : *In nomine Domini Iesu Apostoli baptizabantur quia Patrem , & Spiritum Sanctum ritecebant , ideo negabant?* Præterea veterum

52 *De Theologicis Institucis*

Scholæ Doctorum opinioni non opponitur *Catechismus Rom.* p. 2. c. 2. n. 15. quamvis in sententiam nostram eius Auctores in seq. n. 16. descenderint. Tandem in Synodo Nemausensi celebrata circa annum 1484. hæc habentur : *Dicimus infantem baptizatum esse, si baptizans dicit, Baptizo te in nomine Christi. Quod sacramen non est laicis exprimendum, ne a forma statuta per Ecclesiam recedatur.*

Sed argumenta isthac, aliaque similia non tanti ponderis esse videntur, ut a proposita sententia removere nos valeant; cum eorum nonnulla concludant, etiam hoc tempore valere Baptismum in solo Christi nomine datum; quod Adversarii non admittunt; cetera autem facta historicò innitantur, in cuius inquisitione permuli operam minime locaverunt. Antiquitatem enim de Baptismi forma tractantes, docuerunt Apostolos in solo Christi nomine baptizasse ex speciali Dei consilio, ut Christi nomen Iudeis, & Gentibus honorabilius redderetur, non serio inquirentes, an revera ea forma baptizasset Apostoli; sed exponentes quædam superius citata loca ex Actibus Apostolorum, quæ primo aspectu id videntur innuere: unde eorum potius sententia propugnanda est, qui in his locis expendendis, atque in Patrum investiganda traditione, nervos omnes ac animum intenderunt. Denique de multiplici mutatione quæ contingere potest in forma Baptismatis, legi poterunt tum prolixiores Theologizæ Tractatores, tum etiam quæ in superiori libro dicimus cap. 4.

CA.

C A P U T . V.

*Quandonam Christus Baptismum
instituit?*

A Christo institutionum suisse Baptisma Orthodoxi omnes, hereticique consentiunt: de institutionis autem tempore plurimum altercantur. Alensis enim, Albertus Magnus, aliqui Baptismi originem eo in tempore statuunt, quo Christus post resurrectionem ascensurus in Cœlum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Alii vero quainvis ante Christi passionem institutionum Baptisma defendant, in assignando tamen præcisœ institutionis tempore non concordant. S. Thomas, aliqui per multi censem, Baptismum a Christo institutum, quando in Jordane a Joanne baptizatus est: quidam autem institutionis tempus illud assignant, quo Christus Nicodemo dixit Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Quidam postremo cum Scoto censem, institutum illum suisse paulo ante, quam Christi Discipuli baptizare coepertum. Haec quoque opinio placuit Seraph. Doctori in 4. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1.

Propositio 1. Christus Baptismum ante suam passionem instituit.

Probatur. Christus ante passionem suam, et si non propriis, discipulorum tamen manibus baptizabat. Legitur enim Joan. 3. v. 22. *Venit*

D 3

Jes.

34 De Theologicis Institutis

Iesus, & discipuli ejus in terram Iudeam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Et c. 4. v. 22. Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus. Atqui non Joannis, sed Christi erat ille Baptismus. Jam ergo a Christo Baptismus fuerat institutus. Probatur minor. Baptismus quem discipuli conferebant, talis erat, per quem dictus est Christus eorum manibus baptizasse: & baptizabat. Ergo discipuli non Joannis, sed Christi Baptismus conferebant: alioquin Joannes potius, quam Christus dicere tur per discipulos baptizasse. Baptizabat enim, inquit Augustinus tract. 15. in Joan. quia ipse mundabat, non baptizabat, quia non ipse tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis.

Et sane Joannes de Christo prædixerat, Joan. 1. 33. Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto: nec ullibi de Christo, sicuti de Joanne, scriptum invenies, ipsum in aqua solummodo baptizasse. Ergo quod legitur, Jesus baptizabat, intelligendum est, baptizasse in Spiritu Sancto, per suum nempe Baptismum.

Deinde Joan. 3. vv. 25. & 26. legitur: Facta est autem questio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. Et venerant ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium peribivisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Atqui si Jesus, ejusque discipuli baptizassent baptismum Joannis, questio illa facta non esset, neque æmulationem Joannis discipuli habuissent, dum ipsius honori cessisset, quod baptizate suo etiam Christi discipuli baptizarent.

Præterea nullibi legitimus eos, quos discipuli Do-

Dominii baptizarunt, suisse iterum baptizatos, sicuti Act. 19. v. 4. rebaptizatos legimus tinetos baptismu Joannis. Ergo baptizati a Christi discipulis, non Joannis, sed ipsius Christi Baptismum acceperant. Vide S. Augustinum tract. 5. in Joan. n. 16.

Denique congruebat, ne Apostoli Eucharistiam acciperent, & novae legis Sacerdotes constituerentur nondum baptizati, Christi nempe Baptismo, qui ex ejusdem institutione debet alia Sacraenta praecedere. Jam ergo ante ultimam Christi Cœnam, ejusque passionem institutum suisse Baptisma dicendum est.

Propositio 2. Probabilius videtur, Christum instituisse Baptisma paulo postquam ad eum venit Nicodemus, ac paulo ante quam ipse & discipuli ejus baptizasse dicuntur Joan. 3.

Probatur. Baptenus non est institutus a Christo, dum ille in Jordane baptizatus est; quia, ut ait Scotus in 4. d. 3. q. 4. n. 2. ille non fuit baptismus Christi, id est in forma Christi sed in forma Joannis. Nihil enim praeter aquam communie habuit Joannis baptismus cum Christi Baptismo: ex quo igitur Christus Joannis baptismum acceperit, non recte deducitur, Christum tunc suum instituisse Baptisma.

Neque illum instituit, dum Nicodemo dicit, *Nisi quis ergo, quia, uti citato in loco subjungit Scotus, non est verisimile tam necessarium Sacramentum in conclavi coram persona privata institui, qua non debuit esse præco institutionis illius.* Deinde quemadmodum ex verbis illis Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & bibieritis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* probari non

36 De Theologicis Institutis

non potest , tunc Christum instituisse Eucharistiam ; ita neque ex verbis hisce , *Nisi quis renatus fuerit , &c.* potest inferri , Baptismum tunc fuisse institutum : sed solum indicatur futura Baptismi necessitas , sicut in priori textu futura necessitas Eucharistiae praedicitur . Unde S. Thomas in p. 3. q. 66. a. 2. ad 3. ait : *Quod Dominus Nicodemo dixit Joan. 3. Nisi quis &c. magis videtur ad futurum respicere , quam ad praesens tempus .*

Restat igitur , ut cum Scoto dicamus , tempus institutionis fuisse ante illud tempus , quo discipuli Christi baptizabant ; licet precise hora institutionis non legatur in Evangelio . Probabilius ergo dicendum videtur , a Christo institutum fuisse Baptismum paulo post , quam ad ipsum Nicodemus accessit , & paulo ante quam Apostoli baptizare cœperunt . Tempus vero illud implicite indicatur , dum Evangelista Joannes post enarratum Nicodemi cum Christo colloquium c. 3. v. 22. subjungit : *Post hæc venit Jesus , & discipuli ejus , &c.*

Hic obiter adnota , nonnullos cum Juvenio tensere , quod Christus Baptismum instituit , quam Matth. 10. Marci 3. Luc 9. misit Apostolos , ut Judæos adventum Messiae docearent . At quæ in citatis Evangelii locis contingisse warrantur , multo postea evenerunt , quam Jesus ac discipuli ejus cœperint baptizare ; proindeque multo postea quam a Christo Baptismum fuerit institutum ; ut patet omnibus , qui sacram Chronologiam vel a lumine salutarunt .

Objicies i. contra i. propof. Christus Baptismi formam non nisi post resurrectionem suam sustinuit , docuitque tunc Apostolo mysterium Trinitatis ,

tatis, sub cuius invocatione illum conferre deberent, inquiens Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Ergo tunc ipsum etiam Baptismum instituit.

Huic sententiæ furent Patres, ex quibus Ambrosius lib. 19. in Lucam ait, quod Christus post resurrectionem Apostolis docendi, *& baptizandi tribuit potestatem.* Scribit & Augustinus tract. 120. in Joan. aliisque in locis, Ecclesiæ Sacraenta ex Christi latere profluxisse, quando exivit inde *sanguis & aqua*, Joan. 19. v. 3. Non ergo ante Christi passionem institutus est Baptismus. Sed clarus Leo magnus in epist. 4. c. 3. inquit: *Posteaquam resurrexis a mortuis, discipulis suis, in quibus Presules omnes Ecclesiæ docebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi, dicens, Euntes ergo &c.* De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisse intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione capisse.

Denique Tertullianus in lib. de Bapt. c. 11. ait: *Itaque tingebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante præcursor, eodem baptismo Ioannis.* Id quoque docuere Chrysostomus hom. 28. in c. 3. Joan. Theophylactus, Euthymius, aliique.

Resp. quod quando Christus discipulos misit ad baptizandas omnes Gentes Matth. ult. non Baptismum, neque formam ejus instituit; sed præcepit, ut iam instituto Gentes initiantur; nec solum Judæis, verum & Paganis cum cœlestem doctrinam, tum Sacraenta conferrent. Neque tunc primum Apostolis Trinitatis mysterium revelatum est; cum sæpe Christus in Evan-

48 *De Theologicis Institutis*

Evangelio mentionem fecerit Patris , & Filii ,
& Spiritus Sancti ; & Petrus Matth. 16. v.
16. aperte Christum Filium Dei vivi confessus
sit : ac tandem Apostoli ignorare non poterant,
tres divinas Personas , dum baptizatus est Christus , visibiliter adfuisse .

Ambrosius dumtaxat affirmat , Apostolos tunc
primum accepisse mandatum baptizandi omnes
Gentes , sicut & docendi ; prius enim utrumque
in Judaico tantum populo faciebant . Distin-
guenda itaque est Baptismi institutio a bapti-
zandi potestate , sive mandato .

Leonis quoque verba referenda sunt ad man-
datum , & ad universalem publicamque Baptis-
matis promulgationem ; de Christo enim in-
quit in seq. n. 6. *Tunc regenerationis potentiam*,
sanxit , quando de latere ipsius profluxerunt san-
quis redemptionis , & aqua baptismatis . Quod
si tunc sanxit , quomodo postea instituit ?

Quod vero Augustinus afferit , Sacmenta
de Christi latere profluxisse , de merito & effi-
cacia accipiendum est , non de Sacmentorum
institutione : alioqui tunc etiam instituta Eu-
charistia , & Ordo fuissent . Quem pariter sen-
sum citata superius Leonis verba præseferunt .

Fatemur denique non Tertullianum modo ,
sed & Chrysostomum , aliosque aliter docuisse ;
at non oportet , ut ad confirmandam Scholæ
opinionem suffragium afferat traditio universa ;
sed sufficit , si innixa ea sit plurium auctorita-
ti : hujusmodi autem est opinio nostra , quam
præter Augustinum tradiderunt etiam Cyrillus
in Joan. & Ammonius in Catena Græcorum ,
aliisque etiam ex Scholæ Magistris , qui in eo
conveniunt , quod Christus ante passionem non
Joan-

Joannis , sed suo Baptismate baptizarit . Horum sententiam non obscure argumenta superius adducta demonstrant ; Tertulliani vero , aliorumque sententia eo momento ducitur , quod ante Christi ascensionem Spiritus Sanctus non erat datus , ut legitur Joan. 7. v. 39. At bene adnotat Augustinus q. 62. inter 83. quod Spiritus Sanctus visibili quidem specie super Apostolos in die Pentecostes descendit ; sed ipsis , aliisque , ut Davidi , Elisabeth' , &c. datus antea fuerat invisibiliter , a quo jam gratiam sanctificationis acceperant . Deinde ex opposita sententia sequeretur , neque Eucharistie Sacramentum in ultima Cœna institutum ubertatem spiritalis gratiæ tribuisse .

Objicies 2. contra 2. propos. cum Tournely , Berti , aliisque Thomistis . Instituitur Sacramentum , dum consecratur materia , & designatur verborum forma , ejusque manifestatur effectus . At Baptismi materiam , idest , aquam suisse a Domino in Jordane mundatam , sanctificatam , consecratam , concors est SS. Patrum sententia ; ut patet ex Ambroſio lib. 2. in Lucaso n. 83. ex Nazianzeno orat. 39. ex Maximo Taurinensi hom. 6. de Epiph. &c. Designatam tunc quoque suisse Baptismi formam iudicem Patres affirmaat , quos inter Augustinus tract. 6. in Joan. n. 5. ait : Apparet manifestissima Trinitas , Pater in uite , Filius in bomine , Spiritus in columba . In ista Trinitate missi sunt Apostoli . Denique tunc etiam Baptismi effectus innotuit . Ut enim recte scribit Ephrem Syrus in Cat. Græc. Super Iesum venit Spiritus , ut ostendat super omnes fideles , dum baptizantur , se se etiam vensurum .

Resp.

60 De Theologicis Institutis

Resp. Angel. Doctorem, et si in opposita fuerit opinione, in supra citato loco recte nota esse, quod tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virutem producendi suum effectum. Id autem profecto non contigit, dum in Jordane Christus baptismum accepit. Neque enim tunc aquæ sanctificandi vim obtinuerunt; cum illam dumtaxat obtineant, quando per SS. Trinitatis invocationem Catechumeno applicantur. Et quamvis ante quam aquæ id prima vice praestarent, determinari ac elevari a Christo debuerint; hoc tamen nequaquam evenit, quando ille ad Joannis baptismum accessit: non enim determinari tunc poterant aquæ ad gratiæ collationem, & elevari ad sacramentalis Baptismatis dignitatem, nisi simul determinaretur & forma verborum, quæ consecrant elementum. Atqui ex Evangelio minime constat, quod tunc primo Christus formam determinaverit, ac sacra verba ipse proculerit, efficaciter ordinando, ut quando aquæ cum SS. Trinitatis invocatione Catechumenis applicarentur, sanctificandi virtutem haberent.

Dum vero Patres afferunt, Christum containere carnis suæ aquas consecrasse, eisque vim regenerandi dedisse, non de vi aliqua inhærente, neque de prima Baptismatis institutione loquuntur; sed solum affirmant, quod Christus eo facto suo veluti signo quodam aquas ad regenerationem hominum ordinavit, & ostendit ceteros credentes in aqua fore baptizandos; ut loquitur S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 2. a. 1. q. i. quem legendum etiam in seq. quest. 2. consulimus.

Ita similiter Trinitatis apparitio in Jordane, signi.

significavit utique in nomine & virtute Trinitatis a peccatis abluendos ac sanctificandos esse eos , qui deinceps Christi Baptismum acciperent ; non tamen evicit , tunc primum Trinitatis invocationem efficaciter ordinatam , prolatam , expressamque pro forma Baptismatis . Ita denique per Spiritus Sancti descensum innotuit effectus Baptismi , non qui tunc institutus fuit , sed qui instituendus erat a Christo .

Quærere hic Theologi solent , quandonam sursciendi Baptismi lex cœperit homines obligare ? At jam dum de legibus in lib. 15. tractavimus , in c. 8. proposit. 1. cum Ven. Scoto , & S. Bonaventura docuimus , Baptismi legem obligare tunc cœpisse , quum in die Pentecostes illum publice ac solemniter promulgarunt Apostoli .

G A P U T VI.

Ubi de Baptismi Ministro differitur.

Bisaciam potest conferri Baptisma ; vel neope solemniter , cum publicus ritus , & Ecclesiasticæ ceremoniæ observantur ; vel privatim , omissis nempe ceremoniis , iisque dumtaxat adhibitis , quæ ad Sacramenti confectionem necessario requiruntur . Potest præterea Baptisma conferri , vel necessitate premente , sive mortis instantे periculo ; vel extra necessitatis casum , dum nempe baptizandus integra fructū sanitatis .

Con.

62 De Theologicis Institutis

Consentient Novatores solemnis Baptismi ministerum esse Episcopum, ac Presbyterum, nec non ex delegatione Diaconum. In necessitate autem baptizare etiam posse minores Clericos, imo & Laicos, ipsasque mulieres, Catholiconrum doctrina est, a qua Calvinus, ac recentiores quidam Græci apud Petrum Arcudium recesserunt.

Propositio 1. Jus solemniter baptizandi principaliter Episcopis competit, ac deinde Presbyteris, non tamen sine Episcorum auctoritate.

Probatur 1. pars. Apostolis, quibus succundunt Episcopi, dixit Christus Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos:* &c. Et Paulus in 1. ad Cor. c. 4. v. 1. se aliosque Apostolos appellat *Dispensatores mysteriorum Dei*. Constat præterea ex historia N. T. Apostolos ministrasse Baptismum; uti de Petro legitur Act. 2. v. 41. de Paulo Act. 16. v. 15. &c.

Secunda quoque pars facile demonstratur. Habetur enim in Constitut. Apostolicis lib. 3. c. 11. *Permitimus baptizare solos Episcopos, ac Presbyteros, ministrantibus Diaconis*. Innocentius I. in epist. ad Decentium c. 3. de Presbyteris inquit, *Seu extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizant*. Denique Eugenius IV. in Decreto pro Armenis de Baptismo ait: *Ministrus hujus sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*.

Quod autem Sacerdotes dependenter ab Episcopo jus habeant baptizandi, colligitur ex Tertulliano, qui in lib. de Bapt. c. 17. scribit: *Dandi baptismum jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: debinc Presbyteri, & Diaconi,*

boni, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiae bonorem, quo salvo, salvo pax est. Hieronymus etiam in Dialogo adversus Luciferianos ait: *Sine Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus jus habet baptizandi.* Hinc olim soli baptizabant Episcopi, uti tum ex momentis aliis patet, tum ex epistola S. Gregorii Papæ 32. nunc 33. libri 1. ad Romanum Italæ Exarchum, qua illum hortatur, ne Ravennæ detineat Blondum Hortensem Episcopum, quod eo absente, Ecclesia sine rectori, *O* populus, quasi sine pastore grec, desperaret, *O* ibidem infantes abique baptismate morerentur. In quem locum PP. S. Mauri ita notant: *Quare absente Episcopo infantes sine baptismate moriebantur?* Quia baptismi ordinarius Minister est Episcopus, *O* in illa solum civitatis Ecclesia, in qua Episcopus sedebat, otim erat Baptisterium: hodieque Florentiæ, Pisæ, Parmæ, Patavii, Bononiae, *O*c. in solis Ecclesiæ Cathedralis Baptisteriis infantes sacris aquis intingi solent.

Dicendum itaque est, Sacerdotes omnes habere vi Ordinis, ut præsent Christianæ plebi; ideoque ut doceant, & baptizent, & omnia Sacra menta ministrent, exceptis Ordine, & Confirmatione; quapropter Episcopus sacram Ordinationem celebrans inquit, *Presbyterum operari præesse.* Hæc tamen baptizandi potestas, per quam illi passim a Theologis ordinarii Baptismi Ministri, & ex officio baptizare dicuntur, ab Episcopo jurisdictionem, quam Tertullianus auctoritatem, & Hieronymus iussionem appellat, accipere debet. Quare dum Episcopi baptizabant, non poterant id munieris usurpare

Pref.

64 De Theologicis Institutis

Presbyteri ; uti & modo , si illi doceant , hoc
gacere necessum est . Ita si nunc adsit Parochus ,
Sacerdos alius baptizare non debet , nec possunt ,
parentes ad aliam Parociam deferre baptizan-
dum infantem . Ac propterea in Rituall Ro-
mano præscribitur , solemnis Baptismi Mini-
strum esse Parochum , vel alium Sacerdotem a
Parocho , vel ab Ordinario loci delegatum .

Propositio 2. Diaconus non potest nisi ex de-
legatione Baptisma solemniter administrare .

Probatur cum S. Thoma in p. 3. q. 67. a. 1.
„ Sicut Cœlestium Ordinum proprietates , &
„ eorum officia ex eorum nominibus accipiun-
„ tur , ut Dionysius dicit c. 7. Cœl. Hierar-
„ chia , ita etiam ex nominibus Ecclesiastico-
rum Ordinum accipi potest , quid ad unum
„ quemque pertineat Ordinem . Dicuntur au-
„ tem Diaconi quasi Ministri : quia videlicet
„ ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramen-
„ tum principaliter , & quasi ex proprio offi-
„ cio præbere ; sed adhibere ministerium aliis
„ Majoribus in Sacramentorum exhibitione .
„ Et sic ad Diaconum non pertinet , quasi ex
„ proprio officio , tradere Sacramentum Baptis-
„ mi ; sed in collatione hujus Sacramenti , &
„ aliorum assistere , & ministrare Majoribus .

Id confirmatur ex Epiphanio ita scribente
in hær. 79. qua est Collyridianorum : Nam ne-
que Diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastica
Ordine Sacramentum perficere conceditur , sed hoc
dumtaxat . ut eorum qua perficiuntur , ministri
sint . Idem quoque docetur ab Auctore Constit.
Apostol. lib. 8. cap. 28. Denique suffragantur &
Canonum definitiones , ut patet ex cap. Diaconos , dist. 93. & ex cap. Constat , dist. 4. de
Consecratione . Quod

Quod vero Diaconis commissum aliquando fuerit baptizandi munus , in dubium revocari non potest, Liquet enim ex Act. c. 8. Philip-
pum Diaconum baptizasse Eunuchum Reginæ
Æthiopum . Item in can. 77. Illiberitani Con-
ciliū legitur: *Si quis Diaconus regens plebem si-
ne Episcopo , vel Presbytero aliquos baptizave-
rit, &c.* quo permittitur Diacono jurisdictione Ecclesiastica prædicto baptizare, non autem ba-
ptizatum per benedictionem perficere , scilicet *confirmare*; quod Episcoporum est munus. Hoc
idem postremo colligitur ex Vet. Ordine Ro-
mano , & ex Catech. Rom. p. 2. c. 2. n. 23.

At quidam putant, Diaconos posse *ex officio* conferre Baptismum, ejusque dici ordinarios min-
istros ; hi itaque sic opponunt . In Pontifica-
li Romano Episcopus Diaconos consecrans , ait:
*Diaconum oportet ministrare ad altare , baptiza-
re , prædicare , &c.* Tertullianus etiam , & Hiero-
nymus in locis supra citatis eodem modo lo-
quuntur de Presbyteris, ac de Diaconis ; ideo-
que tum illi , tum isti baptizare dicendi sunt
ex officio , & ordinaria potestate .

Resp. autem juxta communiorē , veram-
que sententiam , Diaconos nonnisi extraordina-
rios , ac delegatos esse Baptismi ministros . Nam
illi vi ordinis potestatem dumtaxat accipiunt
baptizandi ex commissione ; si nempe ad mini-
sterium illud ab Episcopo , vel Presbytero as-
sumuntur ; neque aliter agere possunt , nisi ur-
gente necessitate. Hinc in citato cap. Diaconos
legitur : *Diaconi absque Episcopo vel Presbytero
baptizare non audeant , nisi prædictis fortassis
ordinibus , seu officiis longius constitutis , necessi-
tas extrema compellat .*

Tom. XII.

E

Ad

66 De Theologieis Institutis

Ad alterum. Presbyter, & Diaconus baptizare non possunt absque iussione Episcopi, eo praesente; quod ad jurisdictionem pertinet: sed Presbyter vi ordinis est solemnis Baptismi ordinarius minister, Diaconus autem extraordinarius tantum, ac delegatus, ut constat ex dictis.

Propositio 3. In casu necessitatis quilibet homo, etiam laicus, ac etiam mulier, potest administrare Baptismum; sine tamen solemnii ritu.

Probatur 1. ex Veterum testimonio. Tertullianus in lib. de Bapt. c. 17. scribit: *Baptismus eque Dei census ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis laicis disciplina verecundiae & moditiae incumbit, cum ea majoribus competat, nec sibi adsumant dicatum Episcopis officium Episcopatus... Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utarisi; sicubi aut loci, aut temporis, aut persona conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urges circumstantia periclitantis. &c.*

Id ipsum afferuit Augustinus tum alibi, tum in lib. 7. de Bapt. c. 53. ubi ait verum esse Baptismum, ubicunque, & a quibuscumque, verbis Evangelicis consecratum. Consentient Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, Isidorus in lib. 2. de div. officiis c. 24. aliquae omnes.

Probatur praeterea ex Conciliorum, sacrorumque Canonum definitione. Lateranense IV. cap. Firmiter, habet: *Sacramentum baptismi a quo cunque rite collatum proficit ad salutem.* Et Florentinum in Instruct. Armenorum ait: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, immo etiam*

etiam paganus, & hereticus baptizare potest.
Idem denique definitur in Cap. Quod quodam,
Causa 1. q. 1. num. 97. Cap. Ad limina, 30. q.
1. n. 7. Cap. Super quibus, 30. q. 3. n. 4. Cap.
Sanctum, de Consecrat. dist. IV. n. 36. &c.

Hujusce autem rei rationem Patres, ac Theologi ex summa Dei bonitate deducunt; quibus Catechismus Rom, adhaerens in p. 2. c. 2. n. 24. scribit: *In quo profecto summam Domini nostri bonitatem, & sapientiam licet admirari.* Nam cum hoc Sacramentum necessario ab omnibus percipiendum sit, quemadmodum aquam ejus materialm instituit, qua nihil magis commune esse potest, sic etiam neminem ab ejus administracione excludi voluit; quamvis, ut dictum est, non omnibus liceat solemnes ceremonias adhibere, & non quidem, quod ritus, aut ceremoniae plus dignitatis, sed quod minus necessitatis, quam Sacramentum habeant. Eadem fere leges apud S. Thomam in p. 3. q. 67. a. 3. consentitque S. Bonaventura in 4. d. 5. a. 1. q. 1.

Objic. 1. Christus Matth. ult. solis Apostolis baptizandi contulit potestatem, inquiens: *Euntes docete, &c.* quibus profecto verbis constat mandatum, ut baptizarent, ordinariis tantum verbi Ministris.

2. Patres baptismum a mulieribus collatum communis consensione rejiciunt. Hos inter legi poterit Epiphanius her. 42. n. 4. & her. 49. n. 2. ac denique her. 79. n. 3. Sed & Carthaginense Concilium IV. celebratum anno 398. can. 100. inquit: *Mulier baptizare non presumat.*

3. Concilium Eliberitanum can. 38. non omnibus laicis, etiam in casu necessitatis, baptizandi tribuit potestatem; sed iis tantum, qui per-

68 De Theologicis Institutis

nitentiam publicam non subierint, sintque monogami: ait enim: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lavacrum suum integrum babet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate.*

Resp. ad i. ex argumento aliud non concludi, quam Apostolos esse Baptisi, ac prædicationis ordinarios, principesque ministros. Nam præterquam quod in Scripturarum expositione Ecclesiæ judicium, Majorumque traditionem debemus attendere; constat ex Actis Apost. etiam Philippum Diaconum administrasse Baptismum Eunicho, & Ananiam, quem nonnulli laicum tunc fuisse sentiunt, Paulo. Quod si Calvinistæ reponant, etiam Philippum, & Ananiam fuisse *verbi ministros*; responsum addemus, quod saltem appareat, Diaconos, qualis certo erat Philippus, ex delegatione, posse solemniter & baptizare, & prædicare; ideoque Christi mandatum Matth. ult. non ita spectare ad Apostolos, ut ad alios pertinere non possit. Denique in casu necessitatis, domi saltem, posse & laicos docere colligitur ex i. ad Cor. c. 14. v. 35. idque possunt & mulieres, uti docet etiam S. Thomas in loco paulo supra citato a. 4. ad i. Similiter ergo privatum baptizare minime probibentur.

Ex Patrum testimonij duintaxat evincitur feminas baptizare non posse in Ecclesiæ conventu, solemnni ritu, extra necessitatem, & si virorum adsit copia: urgente autem necessitate posse ac debere feminas administrare Baptismum aperte inter alios docuit Tertullianus loco supra citato inquiens: *Reus erit perditii hominis, si supercederit præstare quod libere potuit.*

Epi-

Epiphanius sane iis in locis agit contra Pepuzianos, Cataphryges, & Collyridianos, *apud quos mulieres Episcopi erant, ac Presbyteri;* quos & valide refellit, quoniam B. V. Mariæ potius quam Quintillæ, aut mulierculæ alteri Sacerdotalis dignitas collata fuisset; si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidam præstare in Ecclesia liceret: inquit hær. 59. sive 79. n. 3.

Canon 100. Synodi Carthaginensis vetat mulieribus ministerium publici, solemnisque Baptismi. In praecedenti enim Canone 99. legitur: *Mulier, quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non presumat.* Per quod apparet, in proximo etiam Canone 100. eandem subintelligendam esse exceptionem; scilicet, *in conventu, sive in Ecclesia,* ubi cum adsint Sacerdotes, & viri, nulla necessitas feminas baptizare compellit.

Eliberitani denique Canonis sensus est, quod si adsint plures laici, qui morienti Catechumeno possint per Baptisma succurrere; is inter alios sit feliciter, qui neque inter poenitentes publicos accenseatur, neque sit bigamus. In casu autem, quo non aliis nisi aut publicæ poenitentiaz addictus, aut bigamus occurreret, non negat Eliberitana Synodus posse illum ac debere Baptisma conferre. Ita cum Mendoza, Albaspinæ, Van Espen, aliisque Canonem istum interpretantur recentiores Theologi.

Ex hucusque dictis infertur, dignitatis ordinem esse servandum, si in necessitatibus casu plures adfuerint qui valeant baptizare. Qua de re in Rituali Romano tit. de Baptismo §. de Ministro Bapt. sic legitur: *Si adsit Sacerdos,*

70. *De Theologicis Institutis*

Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, & vir feminæ; nisi pudoris gratia deceat feminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam, & modum baptizandi. Sed jam de hæreticis, paganisque specialiter disseramus.

C A P U T VII.

*Num hæretici, ac pagani validum
Baptisma ministrent?*

Superiori in libro de Sacramentis generatim agentes, ostendimus, valere Sacra menta ab impiis collata Ministris; si materiam formamque servaverint, debitamque intentionem habuerint. De hæreticis autem disputare non immerito hucusque distulimus, tum quod controversia isthac de Baptismo præsertim effebuit, tum quod Synodus Tridentina in sess. 7. can. 4. expresse de Baptismo ab hæreticis dif fidentiam tulit; non desunt vero, qui salva fide negant posse hæreticos quædam Sacramenta confidere, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem; quod nemo jam de Baptismate pronuntiabit.

Baptismum itaque ab hæreticis administratum primus omnium mortalium, ut in Communitorio n. 9. scribit Vincentius Lirinensis, respuit Agrippinus Carthaginensis Episcopus, coactoque Concilio circa annum 215. rebaptizan-

zandos esse constituit quos baptizarent hæretici. Hunc etiam errorem fecutus est Cyprianus Agrippini successor, qui tres etiam Synodos ad eundem stabiliendum indixit; unam anno 255. alteram anno 256. aliamque rursus eodem anno, quæ frequentior fuit ac plenior. Cypriano adhædere Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, aliquique Orientales, qui coactis item Synodis Iconii, & Synnadæ, circa annum 256. vel, ut aliis cum Baronio placet, 258., hæreticorum baptismus non valere dixerunt.

Illorum vero errori, comatibusque viriliter restitit Stephanus R. P. decretisque Catholicam veritatem, Cypriano rescribens: *Si quis ergo a quacumque heresi venerit ad vos, nibil innoverat, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Quæ verba apud Cyprianum leguntur in sua ad Pompejum epistola n. 74. Quamvis autem Stephanus excommunicandos putaverit Rebaptizantes, eos tamen minime excommunicavit. Ut enim ait Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 25. *Vicit pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schisma sit matum orisetur.* Denique quæstio de hæreticorum baptismus finita postea fuit plenarii Concilii auctoritate, ut idem S. Doctor inquit in c. 9. libri 2. de Bapt. Illud vero Concilium alii Nicænum, alii Arlatense fuisse contendunt. Constat postremo ex dictis in priori lib. c. 12. etiam Donatistas IV. Ecclesiæ sœculo administratum ab hæreticis baptismus irritum censuisse. At pro Catholica veritate sit

Propositio 1. Valet Baptismus ab hæreticis cum præscripta forma collatus.

72 *De Theologicis Institutis*

Probatur ex constanti Ecclesiæ consuetudine, quæ ab Apostolica Traditione manavit. Ut enim scribit Augustinus in lib. 2. de Bapt. c. 7. *Saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis, & hereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod Janum est.* Quam consuetudinem creda ex Apostolica Traditione venientem; sicut multa, quæ non inventuntur in literis eorum, nec in Conciliis posteriorum; & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.

Libro autem 3. c. 12. probat S. Doctor, neque post Agrippinum in Africa Rebaptismum communiter obtinuisse, atque ita ratiocinatur. Si permanebat ab Agrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hereticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re Concilia? Ut quid eidem Jubajanu dicit, non solum novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino constitutam? Cur enim Jubajanu de novitate turbaretur, ut eum per autoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus College in Concilio dixerunt rationem & veritatem consuetudini præponendam, ac non potius dixerunt eos, qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra consuetudinem facere? Quæ quidem Augustini verba aliud exhibent veritatæ consuetudinis argumentum ex ipsorum Rebaptizantium confessione depromptum. Revera enim Cyprianus in epist. 71. ad Quiratum ait: *Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.* Et in epist. 73. ad Ju-

ba.

bajanum : Sed dicet aliquis , quid ergo fieri debet , qui in praeteritum de heresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt ? Ubi , uti peracute notat Augustinus lib. 2. de Bapt. c. 9., aliam fuisse Ecclesiæ consuetudinem Cyprianus aperte significat .

Hanc vero consuetudinem , veritatemque perpetuo probarunt , firmaruntque Concilia . Arelatense enim I. anno 314. ita can. 8. decretivit : *De Afris autem , quod propria lege sua utantur , ut rebaptizent , placuit ut si ad Ecclesiam aliquis hereticus venerit , interrogent eum symbolum , & si poveriderint eum in Patre , Filio , & Spiritu Sancto esse baptizatum , manus ei tantum imponatur : quod si interrogatus symbolum , non responderit Trinitatem , tunc merito baptizetur .*

Deinde Nicænum anno 325. can. 8. Catharos , sive Novatianos in Ecclesiam admittendos jussit sola manuum impositione ; can. au- tem 19. rebaptizandos statuit Paulianistas , re- gulam baptismatis non tenentes : uti scribit Augustinus in lib. de hær. n. 44.

CP. I. quod fuit generale II. can. 7. statuit rebaptizandos Eunomianos , Montanistas , & Sabellianos , non vero Arianos , Macedonianos , & Novatianos ; non alia ratione , nisi quod primi tingentes Evangelicis verbis minime uterentur .

Postremo his , aliisque innumeris Ecclesiæ definitionibus insistens Synodus Tridentina secessit 7. can. 4. ita decretivit : *Si quis dixerit Baptismum , qui etiam datur ab hereticis in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , cum intentione faciendi quod facit Ecclesia , non esse*

74 *De Theologicis Institutis*
verum Baptismum, anathema sit.

Hic vero notandum, quod et si Scripturæ præsentem quæstionem expresse clareque non dirimant; ad Catholicum tamen dogma tuerunt ea loca faciunt, quibus adstruitur, Ministros Sacraenta confidere non propria auctoritate, sed Christi, qui baptizat in Spiritu Sancto; de quo testimonio Joan. 1. v. 33. plura diximus in præced. lib. c. 12. ubi theologicam rationem huc quoque spectantem invenies.

Propositio 2. Etiam Pagani validum Baptisma conferunt, si legitimam formam adhibeant.

Descendit hæc veritas ex demonstratis. Si enim Christus est qui in Spiritu Sancto baptizat, neque propria Baptismi sanctitas a Ministeri probitate, vel fide dependet; dicendum profecto est, valere Baptismum etiam a Paganorum collatum, neque hujus errorum perfidiamque posse inditam illi a Christo virtutem admere. Hinc Nicolaus I. ad consulta Bulgaram cap. 104. ait: *A quodam Judeo, necitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos afferitis; O quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profecto se in nomine Sancte Trinitatis... baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.*

In cap. etiam *Romanus*, de Consecr. dist. 4. n. 23. defuncto aut ex Isidoro, aut ex lib. 4. Capitularium c. 6. habetur: *Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat.* Idem denique legitur in Instruktione Armenorum, quam in Florentino Concilio edidit Eugenius IV. ut coofstat ex dictis in propos. 3. capitulis antecedentibus.

Ob-

Objicies 1. Baptismus unus est , sicut & fides est una , scribente Apostolo ad Ephes. 4. v. 5. Una fides , unum baptisma . Sicut ergo hæretici fidem non habent , ita neque Baptismum . Deinde etiam Ecclesia una est , de qua Cant. 4. v. 12. legitur : *Hortus conclusus , fons signatus ;* & 6. v. 8. *Una est columba mea , perfecta mea .* In hunc hortum conclusum intrare non possunt hæretici , utpote qui sunt ejecti extra Ecclesias unitatem ; ideoque eundem fontem aquarum viventium nobiscum communem habere non poterunt . Huc quoque facit , quod de hæreticis ait Dominus Jer. 2. v. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ , & foderunt sibi cisternas , cisternas dissipatas , quæ continere non valent aquas .* Non ergo habent hæretici fontem aquæ vivæ , & salientis in vitam æternam , idest salvificam undam sacri Baptismatis ; sed aquam habent adulteram & profanam .

Resp. cum S. Augustino , Christi Baptismum utique unum esse , sed esse unum tam in manibus hæreticorum , quam Catholicorum . *Sacramenta* , inquit S: Doctor in lib. 3. de Bapt. c.15. *si eadem sunt , ubique integra sunt , etiam si prave intelliguntur , & discordiose tractantur :* sicut scriptura ipsius Evangelii , *si eadem ipsa est , ubique integra est , etiam si innumerabili fabiarum opinionum varietate afferatur .* Et in lib. de unico Baptismo contra Petilianum c. 8. scribit : *Hic fortasse dicet , jam non esse Christi Sacramentum , quod a sacrilegis datur . Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi , quod a sacrilegis dicitur ?* Sicut ergo una eademque Scriptura potest tum a Catholicis , tum ab hæreticis affervari ; ac sicut unum idemque Christi

76 De Theologicis Institutis

stī nōmēn a Catholicis, hæreticisque profertur; ita potest unus & idem Baptismus apud Catholicos, hæreticosque manere. Idcirco autem ablatā fide potest in hæreticis permanere Baptismus; quia Sacramentum istud ad Ecclesiam spectat, tanquam Christifidelium character, & nota: notæ vero & characteres etiam in transfugis apostatisque persistunt, ut idem Augustinus declarat in lib. 2: contra Pārmenianum c. 13.

Ad verba illa ex Canticis deprompta repōnimus ex eodem S. Doctore in cit. lib. 5. de Bapt. c. 27. quod si hortum conclusum, sōtemque signatum intelligamus Ecclesiam Sanctorum, non est illa *in avaris, & fraudatoriis, & raptoribus, & fœneratoribus, & ebrios, & invidis, quos tamen cum justis baptiſtum habuisse communem.* Cyprianus ipse concessit: *eundem ergo Baptismum eodem pæsto habere possunt hæretici.* Si vero *hortum conclusum dicas Ecclesiam hujus temporis, in qua mali cum bonis admixti sunt; in ipsa Ecclesia quædam sunt propria Sanctorum, ut charitas; quædam communia Sanctis & improbis, ut fides; quædam etiam extra Ecclesias corpus ac in hæreticis inveniuntur, ut sacroſancta mysteria.*

Denique legitur in cap. 45. de Conſecr. diſt. 4. *Ecclesia Paradiso comparata indicat nobis, posse quidem ejus baptiſtum homines etiam foris recipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradisi, ſicut Scriptura teſtatur, etiam foras largiter manaverunt.*

Tandem ex dictis patet reſponſio ad textum ex Jeremia depromptum. Nam & illi qui profertur fidem, & vitiis indulgent, dereliquerunt

runt Deum fontem aquarum viventium : Neque enim pedibus, ac non corde relinquitur Deus. Dicimus insuper neque istos, neque haereticos viventem aquam habere, quantum ad sanctificationem vite; quamvis illam habeant quantum ad participationem sacramenti. Lege lib. 2. contra Parmenianum c. 10. Neque profana est aqua, super quam nomen Dei invocatur; quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen profanum est. Ita c. Non est aqua, 50. de Consecr. dist. 4. & S. Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 10.

Objicies 2. quorundam Patrum auctoritatem. Non enim soli Cyprianus, ac Firmilianus, quibus præiverat etiam Tertullianus; verum & alii magni nominis oppositam tenuere sententiam. Et primo quidem Dionysium Alexandrinum Rebaptizantibus adhæsisse testatur Hieronymus de Script. Eccles. c. 69. scribens : *Hic in Cypriani, & Africanae Synodi dogma consensiens de hereticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas, quæ usque hodie extant.* De Basilio etiam nemo dubitaverit, si Canoniam ejus epistolam ad Amphilochium legerit.

Idem quoque Athanasium sensisse colligitur ex ejusdem orat. 3. nunc 2. contra Arianos, ubi inter alia inquit : *Sicut creatura diversum quid est a Filio; ita diversum quiddam a vero baptisme est quod ab illis existimatur dari.*

Consentit Optatus Milevitanus affirmans in lib. 1. contra Parmenianum n. 12. haereticos habere varia & falsa baptismata, quibus inquinatus non possit ablueri, nec immundus emundare.

Postremo Cyrus Hieros. aperte sic ait Praefat. in Catecheses : *Soli haeretici rebaptizantur; siquidem prius illud non erat baptisma.*

Resp.

78 *De Theologicis Institutis*

Resp. ipsos Patres, qui pro Rebaptismo reterunt, minime denegasse contrariam ac vetustissimam consuetudinem, plenariis postea Conciliis, Romanorum Pontificum statutis, matueraque rei discussione firmatam. Ceterum de Dionysii mente non una est Theologorum opinio, eumque inter alios tueri nititur Gaspar Jueninus in q. 6. de Bapt. c. 7. a. 3.

Athanasius, uti Tournely, Berti, aliquique responde notarunt, vacuum ac inutilem Arianorum baptismum appellat quantum ad effectum, non quantum ad characterem: *in quo quidem*, ait S. Doctor, *insit religionis simulatio, sed revera nibil ad pietatem queat conferre; iis nempe, qui pravae haereticorum doctrinæ consentiunt,*

Optatus loquitur de haereticis *sani & verissimi Symboli desertoribus*, qui circa mysterium Trinitatis errabant, neque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti tingebant. Alibi vero, ut in lib. præsertim 5. non obscure docet, unum eundemque esse Baptismum, ac minime iterandum, si in Trinitatis nomine conferatur.

Cyrillus denique vel rebaptizandos affirmat haereticos, quando formam adulterant; vel si aliter ille antea sensit, in CP. I. Synodo cui interfuit, traditam in Catechesibus sententiam retractavit. De Tertulliano autem, Cypriano, Firmiliano, & Basilio dicimus, eos utique oppositum opinatos fuisse, sed adversus aliorum Patrum totiusque Orbis mores, uti ex supradictis apparat.

Objicies 5. canones Apostolicos 45. & 46., quorum primus est: *Episcopum vel Presbyterum, qui haereticorum baptismum, vel sacrificium.*

eum admiserit, deponi jubemus: alter vero: Episcopus, vel Presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel se eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur.

Resp. prædictos Canones editos suisse in aliqua Rebaptizantium Synodo, scilicet in Iceniensi, vel Synnadenensi, ac deinde alicujus Collectoris inscritia in numerum Apostolicorum intrusos: liquidem eos nec Cyprianus, nec Firmianus, nec Rebaptizantium aliquis ad confirmationem suæ sententiae laudavit; quod plures doctissimi Viri jamdiu observarunt. Si vero iidem Canones ut genuini probentur, accipiendi erunt de hæreticis qui formam Baptismi depravant.

Objicies 6. specialiter contra 2. propos. Augustinus in lib. 2. adversus Parmen. c. 3. ait: *Et haec quidem alia quæstio est, utrum & ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Similia scribit etiam in lib. 7. de Bapt. c. 53. Immo cum Donatistas frequentissime urgeat ex eo, quod Baptizati non possint Sacramentum amittere, quod in Catholica Ecclesia suscepérunt, ac dari possit Baptismus ubi potest haberi; videtur S. Doctor aliud sentire de hæreticis, aliud de non baptizatis, qui cum Baptismum non habeant, consequenter illud conferre non possunt.

Resp. laudandam esse Augustini moderatorem, dum sententiam dicere detrectavit in re, quæ nondum erat Ecclesiæ auctoritate, & iudicio definita: id autem modo non faceret post Con-

80 *De Theologicis Institutis*

Conciliorum , Pontificumque statuta . Post enim allata verba contra Parmenianum e vestigio subdit : *De iis vero qui ab Ecclesiis unitate separati sunt , nulla jam quæstio est , quin & habeant , & dare possint . . . Hoc enim jam in ipsa totius Orbis unitate discussum , consideratum , perfectum atque firmatum est.*

In citato autem lib. de Bapt. c. 53. quamvis dubitare videatur ; ostendit tamen se ita affectum , ut ratum crederet legitimumque Baptismum , ubicunque , & a quibuscumque , verbis Evangelicis consecratum . Imo quem sàpissime contra Donatistas affirmat , propriam Baptismo inesse virtutem , illumque non ministrantium , sed Christi esse Sacramentum , ac alia hujusce generis plurima , propositionem istam ubique confirmat .

Quod denique refutaverit Donatistas , ex quo extra Ecclesiam non amittatur Baptismus , id fecit ex eorum principiis , communis trans , quod si extra Ecclesiam habetur , extra Ecclesiam & datur . Dicebant enim Donatistæ , ut legitur in loco nuper citato : *Recedens ab Ecclesia baptismum non amittit , jus dandi tamen amittit .* Quibus respondet Augustinus : *Cur non potest dari baptismus , ubi non recte datur ; cum possit haberi , ubi non recte habetur ? An quia non habere aliud est , aliud non recte habere ? Sic & non dare aliud est , aliud non recte dare . Sicut non recte habent qui ab unitate discedunt , sed tamen habent , & ideo reuniunt non redditur , sic etiam non recte dat qui ab unitate discedit , sed tamen dat . Et ideo quod ab eo accepit venienti ad unitatem non iteratur : &c.* Ex hoc quatuor argumentandi modo . non recte deducuntur ,

tur, censuisse Augustinum, quod Baptismus ab eo dumtaxat conferti possit, qui Baptismum accepit: non enim de paganorum, sed de hæreticorum Baptismo tunc quæstio versabatur. Reliqua argumenta ex ratione deprompta ex dictis in c. 12. superioris libri facile diluuntur. Vide insuper S. Thomam in p. 3. q. 67. a. 5. & S. Bonaventuram in 4. d. 5. a. 1. q. 1. & 2. qui & alia plura docent ad Ministrum Baptismi spectantia.

C A P U T VIII.

Quod liceat, expediaturque parvulos baptizare.

POstquam de Baptismi Ministro tractavimus, nunc de ejusdem subjecto, sive de baptizandis differamus oportet. Primo itaque de parvulis, postea de adultis dicturi, hoc in capite querimus, num liceat expediaturque infantibus ante rationis usum Baptisma conferre?

Id negarunt Valdenses, Petrobrussiani, Cathari, ac præsertim Anabaptistæ sic dicti, quod in infantia baptizatos, cum ad adultam pervenissent ætatem, iterum baptizarent, ajentes, nullum esse Baptisma quod confertur infantibus.

Ex recentioribus item hæreticis contendunt plures, neminem olim baptizatum, nisi ætate jam adulta, neque invictè demonstrari antiquam esse & ex Apostolis derivata confuer-

Tom. XII.

F

tu-

82 *De Theologicis Institutis*

tudinem parvulos baptizandi. Ita censent Sabasius, Vitrina, Vandale, &c.

Ex iis autem, qui parvolorum Baptisma probabant, Fidus, quem Pamelius Episcopum putat, Morellius vero Presbyterum, volunt non nisi die octava baptizandum infantem, apud Cyprianum epist. 59. quod non utique propter necessitatem, sed propter mysterium alii etiam commendarunt. Nonnulli præterea ad quadragesimum diem, nonnulli ad tricenium differendum Baptisma dixerunt, nisi tamen imminentia periculum; ut videtur inservire Gregorius Nazianzenus Orat. 40. quæ est in sanctum Baptisma. Denique Tertullianus in lib. de Bap. c. 18. utius esse putavit, si infantes Baptisma receperint, dum adoleverint, ac Christum nosse potuerint.

Propositio. Licet, ac expedit infantulos baptizare.

Probatur. Sicut olim Deus Gen. 17. circumcisionem universum ac indefinite mandsit, ne animæ incircumcisæ deleretur de populo suo: ita Joaa. 3. v. 5. baptismum unicuique & absolute præscripsit, ne excludatur a regno Dei, dicens, *Nisi quis renatus fuerit, non erit.* Quemadmodum ergo tunc circumcisioni subdebantur infantuli, ita & punc sunt regenerandi baptispiate. Consequentiam demonstrant quæ diximus in super, libro c. 17. ostendentes tam circumcisionem, quam baptismum instituta fuisse ad delendum originale peccatum.

Deinde Christus omnes omnino redemit, ac nemo mortalium est, qui nequeat fructum ex ejus redemptione percipere; uti tum alibi docet Apostolus, tum ad Rom. c. 5. At infant-

fahes non moriuntur in Adam, nisi carnalis generatione ab illo nascantur. Ego vivificari in Christo non possunt, nisi per Christum regenerentur; neque resurgere possunt ad spiritualem vitam, nisi cum illo sepellantur in mortem. Est autem Baptismus lavacrum regenerationis ad Titum 3. v. 5. & id, quo cum Christo consopulti sumus in mortem, ad Rom. 6. v. 4.

Huc accedit, quod etiam parvulis Christus beneficia contulit: nam Matth. 19. v. 13. *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis impoperet;* & discipulis increpatibus illos, qui parvulos offerebant, inquit: *Sinistre parvulos, O nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.* Ubi profecto designari infantes ante rationis usum apparet ex eo quod non solum dicuntur *pauperae, pueri,* apud Matthæum, sed etiam *spiritus, retenses ab utero,* apud Lucam 18. v. 16.

Constat præterea ex Act. 2. v. 39. gratia promissionem in Baptismate tam adultris factam esse, quam parvulis, ait enim Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, O accipietis donum Spiritus Sancti.* *Vobis enim est realis promissio, O filii vestris.* Licet igitur expeditque parvulos baptizare, ut hoc medio re-promissam gratiam consequantur.

Tandem ab Apostolis baptizatos etiam parvulos haud obscure colligitur ex Act. 16. v. 15. ubi legimus baptizatam integrum familiam, domumque Lydie purparariæ, & v. 33. *domum omnem custodis carcasis:* Paulus enim in 2. ad Cor. 16. testatur se baptizasse *Stephanus*

84 *De Theologicis Institutis*
domum. In tota autem domo, universaque familia comprehendantur & parvuli.

Patrum quoque traditione Catholicum dogma manuitur. Irenaeus in lib. 2. adversus haereses c. 22. alias 39: ait: *Omnem etatem Dominus sanctificat: omnes, inquam, omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores.*

Cyprianus in citata superius epist. 59. ad Fidum quam ex mente Carthaginensis Concilii scriptis, quamque suffragio suo probarunt tum Augustinus epist. 166. alias 28. ad Hieronymum, tum Hieronymus ipse in fine Dialogi 3. adversus Pelagianos; Cyprianus, inquam, hæc inter alia inquit: *In hoc etiam quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed universi potius judicavimus, nulli hominum nota misericordiam Dei, & gratiam denegandam.* Similia habent Auctor libri de Ecc. Hierarchia c. ult. Scriptor Constit. Apost. c. 15. libri 6. Origenes in cap. 6. ad Rom. Chrysostomus hom. ad Neophytos, Ambrosius lib. 2. de Abraham c. 11. aliquique ad unum omnes.

Hanc etiam veritatem Conciliorum definitiones ostendunt. Ita namque statuere Concilium Africæ plenarium Carthagine celebratum anno 418. can. 2. Et Gerundense anno 517. can. 5. Et Senonense anno 1524. aliaque quamplurima. Sed præsertim Tridentinum sess. 7. can. 13. ita decernit: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habeant, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis perusnerint esse rebaptizandos; aut præstare missi eorum ba-*

baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesia; anathema sit. Legendi sunt etiam ejusdem sessionis canones 12. & 14. Hanc denique inconcussam compertamque traditionem nec ipsi Pelagiani denegare sunt ausi, communiscentes baptizandum quidem parvulum, sed non ut ab originali peccato mundetur. Vide S. Augustinum in lib. 1. de peccat. mer. c. 36.

Hæc postremo ex theologica ratione subjungimus. Expedit, ut parvorum falsus per Baptismum in tuto ponatur, ne repentinis obrepiti casibus perpetuo moriantur. Curandum est insuper, ne Adæ filii diu vivant mancipia dia-boli. Ac tandem perutile optimumque est, quod, ne occasionem arripiat improbitas, infans sanctificetur, & spiritui consecretur ab ipsis unguiculis; ut ait Gregorius Nazianzenus Oration. 40.

Objicies 1. Nemo potest Baptismum rite suscipere, nisi Evangelicam doctrinam prius audierit, juxta Christi præceptum Matth. ult. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes &c. Fides etiam debet Baptisma præcedere, ut Christus ait Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Cum ergo infantes neque Evangelium audire, neque fidem concipere possint, sacro non sunt abluendi Baptismate.

Resp. Matth. ac Marci ult. Missi Apostolos ad gentes idololatras, quæ utique ante baptismum docendæ erant; cum nemo ad Christianam religionem trahatur inscius & invitus: at mandato illo minime prohibetur baptizari infantes eorum, qui Evangelio crediderunt; nullum enim

86 *De Theologicis Institutis*

ibi exclusionis signum adjungitur. Ergo baptizandi sunt omnes, & exigenda est fides ab omnibus qui credere possunt, non ab iis qui etsi Baptismi, non tamen fidei sunt capaces. Et ratio est, quia cum parvuli originali tantum peccato teneantur obnoxii; congruum est, ut quemadmodum alieno facto vulnerantur, ita ad aliena verba sanentur. Unde S. Augustinus in lib. 1. de peccat. mer. c. 19. docet parvulos recte fideles, ac poenitentes vocari, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, atque per eorundem verba gestantium diabolo. Et huic seculo renunciare monstrantur. Vide etiam serm. 14. de verbis Apostoli, nunc 294, n. 12.

Objicies 2. Christus anno etatis suæ trigesimo ad baptismum accessit: æquum est autem, ut nos ejus imitemur exemplum. Multi quoque Cl. Viri, ut Constantinus, Ambrosius, Augustinus, Paulinus Nolanus Episcopus, ad grandævam usque ætatem distulere Baptismum.

Respondeat ad 1. S. Grægorius Nazian. Orat. 40. Christum purgatione non indiguisse: Nec vero quicquam periculi ei meruendum erat baptismum proroganti: quippe qui passiois quoque sua arbiter esset, quemadmodum Et nativitatis. Tibi autem non leve periculum imminent, si bina corruptioni soli genitus, nec incorruptibilitate induitus excesseris. Ex quo constat quam male Christi exemplo Michael Servetus, & aliqui Anabaptistæ, dissentientibus tamen ejusdem scientiæ aliis, anno trigesimo baptizarint.

Adducta quoque exempla Anabaptistarum causam juvare non possunt; quia aliter de parvulis, aliter de adultis hac in re decidendum est.

In

In illis enim Baptismi dilatio æternæ mortis periculo jungitur, cum nequeant nisi per Baptisma salvari. At isti quamvis non baptizati, possunt per ardets Baptismi desiderium salutem consequi, ac interim ad Sacramentum se per pietatis, ac poenitentia opera præparare. Legge S. Thomam in 3^a p. q. 58. a. 3.

Tandem adjungimus, factum quorundam Sanctorum, qui vel ad prolixum nimium tempus, vel etiam usque ad finem vitæ protraxere Baptisma, in exemplum adduci non posse contra sensum ac primum universalis Ecclesiaz. Imo, ut Baronius notat ad annum 377. n. 14. S. Ambrosius in eo multis fuit, ut pravam illam consuetudinem, quæ tam in Occidente, quam etiam in Oriente usu temporis coauerat, qua fideles quamplarimi usque ad provectionem et atens baptismum differrent, penitus ut malum germen ex agro Dominico evelleret; Et quod se fecisse doluit, ab aliis ne in posterum fieret, vehementer admonuit; præstiterisque hoc ipsum apud Orientales Basilius, atque Gregorius Nazianzenus, necnon Gregorius Nyssenus, ut ipsorum de Baptismo editæ Orationes significante.

Sed dices. Si tincti sunt pauprili; cur saltem cum adoleverint, non interrogantur, an velint in Christiana religione manere, ut post Zuingerum existimat Erasmus? Non enim æquum esse videtur, ut Evangelicæ legis jugum insciis ac ratione destitutis infantibus imponatur.

Resp. interrogandos non esse, quia eorum requirit utilitas, ut in Christiana religione persistant, nec opio illis in animarum suarum perniciem danda est. Cum enim homo post E-

88 *De Theologicis Institutis*

vangelii promulgationem Christi jugum ferre teneatur; æquum profecto est, quod illud etiam imponatur infantibus, ut ita participare possint fructum, quem secum Evangelica lex importat. Hinc Tridentina Synodus in sess. 7. can. 14. ita constituit: *Si quis dixerit, parvulos baptizatos, dum adoleverint, interrogandos esse, an ratum babere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo arbitrio relinquentos: nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucbaristia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.*

Postremo notamus ex dictis, Ecclesiam non probasse, neque Patres alios amplexos fuisse consilium Nazianzeni, Tertulliani, ac Fidi de dilatione Baptismi. Non enim tanti sunt fructus, quos illi ex Baptismi procrastinatione sperabant, quanta sunt pericula, quibus, nisi cito baptizentur, subjiciuntur infantes. Ut enim scribit Alcimus Avitus in consolat. Carmine ad Fuscinam sororem:

Omnibus id vero gravius, si forte lavacri Divini expertem, tenerum mors invida natum.

Preripiatis, dura generatum forte gebenne.

CA-

C A P U T I X.

*Num liceat infidelium pueros invitatis
parentibus baptizare?*

Celebris est controversia inter S. Thomz, ac Ven. Scotti Discipulos; an baptizare liceat infidelium infantes, reluctantibus invitatisque parentibus. Id enim non l.cere scribit Doctor Angel. in p. 3. q. 68. a. 10. cui refragatur Subt. Doctor in 4. d. 4. q. 9. Priusquam vero principaliora utriusque opinionis momenta in medium proferamus, primum pro certo supponimus, ratum fore Baptisma, quod etiam contra parentum voluntatem pueris infidelium conferretur; infantis enim regeneratio opus est Spiritus Sancti, qui beneficium gratiae intrinsecus operatur: valeret ergo baptismus ille, si materia, & forma, ac ministrantis intentio non deesset.

Certum est etiam, pueros parentum infidelium, qui spirituali potestati Ecclesiaz directe sunt subditi, cujusmodi sunt qui post suscepturn baptismum ad Judaismum, aut ad sectas alias defecerunt, posse reluctantibus parentibus baptizari. Sicut enim potest Ecclesia parentes ad servandam fidem cogere, ac pertinaces etiam morte punire; ita potest eorum filios, ipsis etiam renitentibus baptizare: nam filii ratione parentum quoad spiritualem salutem subjecti sem.

90 *De Theologicis Institutis*
semper manent Ecclesiæ.

Dubium ergo procedit de filiis infidelium, qui Ecclesiæ subditi neque sunt, neque aliquando fuerunt. Tales autem infideles vel sunt Christianorum mancipia; quatenus vel capti belli, vel empti fuere: aut, quamvis Christianis Principibus civiliter sint subjecti; in Christianorum tamen urbibus velut accolæ degunt, ac sua libertate fruuntur; sicuti sunt Hebrew, pluresque Turcæ. Si primo modo subjecti sunt, concedunt Thomistæ, quod sicut possint invitis parentibus baptizari; cum mancipia, eorumque filii sint sub plena domini potestate, ac sicut pro hujus libito vendi possunt, ita possunt & baptizari, etiamque parentes obfisterent.

Quæstio itaque est de filiis infidelium, qui Christianis Principibus civili tantum, & politica servitute subduntur. Ejuscemodi enim pueros sine parentum consensu baptizari non posse Thomistæ contendunt; nisi vel ipsi pueri Baptisma petierint, postquam rationis usum attigerint; cum in iis, quæ ad jus naturale ac divinum pertinent, tunc suæ esse potestatis incipient: Vel certas mortis instance periculo; cum tunc jure patris potestatis non violato, neque Sacramento aliqua illata injuria, ad æternam vitam parvulus renascatur: Vel denique si consentiat parentum alteruter; eo quod consensus tunc praestatur ab illo, qui naturale jus habet in puerum; & quantum repugnet parentum alter, prævalere debet assensus ille, qui cedit in favorem religionis, maximumque pueri utilitatem.

Exposito igitur controversiæ sensu, præstat modo præcipua Scotistarum argumenta breviter

ter recensere, quibus illi affirmativam sententiam suadere conantur; ac primum illud est depromptum ex Scoto in loco superius citato. Potestas inferior obligare non potest in iis, quæ sunt superiori potestati contraria, sicut asserit etiam Augustinus in serm. 62. alias 6. de *verbis Dom.* de quo mentionem fecimus in lib. 15. c. 10. object. 4. Princeps ergo cui regendæ Reipublicæ cura. incumbit, magis debet, quantum in fe est, cogere unumquemque subdi superiori quam inferiori; ac per consequens maxime debet Princeps tueri dominium supremi Domini, idquæ agere, ut omnes tam maiores quam minores ei subdantur. Quare licet Principi pueros subtrahere dominio parentum infidelium a quibus contra supremi Domini cultum educandi essent, eosque legitimo Dei cultui devovere.

II. argum. Pater non habet jus impediendi salutem temporalem filii; igitur nec æternam; proindeque sicut posset ei invito filius subtrahi, si illum occidere vellet, aut alioqui periclitantem liberare renueret; ita & subtrahi potest volenti eum in infidelitate quæ mortem animæ iugerit, educare.

III. Si pater filium docere vellet artes illicitas, posset auctoritate Principis filius ab eo auferri & alibi collocari recessus instituendus; igitur id multo magis fieri licebit, si filium falsa religione velit imbuere.

IV. Pater jure divino curare tenetur, ut filius Baptisma recipiat: ergo id non curans, atque insuper impedire volens, abutitur patria potestate; adeoque a superiori potestate poterit illi invito subtrahi filius & baptizari.

V.

V. Si pater bona sua prodigat, auctoritate publica dari ei poterunt curatores; ergo si liberos male educet, eadem auctoritate poterit horum cura ei subtrahi, aliisque committi. Hisce rationibus, aliisque similibus permotus Etius vir doctissimus, Scoti opinionem probabilem esse putavit in 4. d. 6. §. 2.

Sed contra Thomistæ reponunt 1. Puerulus invitis parentibus baptizatus aut sub eorum cura relinqueretur, aut illinc subtraheretur vi illata parentibus ipsis invitis. Primum includit manifestum fidei periculum: filii enim a parentibus infidelibus educati eisdem imbuerentur erroribus. Alterum lœdit jus naturæ, quod tribuit parentibus potestatem in filios; quippe donec hi ad usum rationis perveniant, ita subjiciuntur patræ potestati, ut a cura parentum subtrahi nequeant; quemadmodum inquit S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12. animalia destituta ratione, atque res aliaz dominorum suorum arbitrio subjectæ.

Verum ex dictis appareat quid objectioni huic Scotistæ respondeant, posse videlicet pueros illos vi illata parentibus subtrahi, quin jus naturale lœdatur. Parentes enim nullum ex natura, aut ex alio capite jus habent in filios, ad horum corporalem, spiritualemve perniciem. Imo potius ex lege naturæ tenentur illi baptismum filiis procurare, si noverint esse medium ad eorum salutem necessario requisitum: nosse autem id facile possunt infideles qui Christianis Principibus sunt subjecti; nam nostræ fidei mysteria sufficienter eis proposita supponuntur ob assiduum cum Christiana gente commercium. Ergo licet parentes ex lege na-

tu-

tura habeat potestatem in filios , hanc tamen limitaciam habet , & divina potestati subiectam ; ita quod non est omnino dominus filii , ut sit dominus animalium ratione carentium , aliorumque temporalium bonorum ; & ideo in his , quæ sunt contra jus divinum paterni iuris explicativum , pater in filium jus omnino non habet : præfens autem eafus est de iis , quæ sunt contra jus divinum præcipiens patri , ut filio Baptisma suppeditet : non ergo hoc in casu potestatem habet in filium ; proindeque non ei infectur injurya , ut contigeret in ablatione temporalium bonorum , in quæ plena gaudet potestate : quamvis , ut superius dictum est , etiam illis privari potest , si quomodocumque in aliorum periculum abutatur .

At instant Thomistæ . Quis Principum filios parentibus tali in casu subtrahere , eosque baptizare tentabit ? Profecto aut Ecclesiasticus , aut Politicus , aut utraque prædictus potestate . Non debet hoc sibi arrogare Princeps Politicus ; quoniam ejus auctoritas extenditur tantum ad regimen populi instituendum juxta naturam , humanique juris præscriptiones . Neque Ecclesiasticus Princeps ; quippe ad eum non spectat de iis , qui foris sunt , judicare , ut inquit Apostolus in 1. ad Cor. 5. 12. Qui vero utraque pollet auctoritate , nihil aliud exequit potest , quam quod illi sejunctum .

Regerunt e contra Scotistæ , quod sicuti Politicus Princeps potestatem habet corripiendi , ac puniendi parentes infideles sibi subditos , si relate ad alias virtutes male ; ac contra naturam legem filios educarent ; ita etiam dum contra naturalem , divinamque legem in falsa religione euf-

94. *De Theologicis Institutiis*

eosdem enutriunt, & a salutari lavacro repeh-
lunt: *Dei enim minister est: vindex in iram ei,*
qui malum agit: inquit Apostolus ad Rom. 13:
v. 4. Et S. Augustinus in lib. 3. contra Cresco-
niūm c. 51. ait: *In hoc Reges, sicut eis divini-
tus præcipitur, Deo serviant, in quantum Reges
sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibi-
beant, non solum quæ pertinent ad humanam
societatem, verum etiam quæ ad divinam Reli-
gionem.* Quamvis enim Princeps Civilis ad fi-
nem societatis humanæ Rēpublicam modere-
tur; cum tamen finis ille obtineri non possit,
nisi naturale, ac divinum jus sartum rectum-
que permaneat; idcirco Civilis Princeps jus
naturale, & divinum vindicare tenetur. Ergo
cum ex dictis appareat, divinam, naturalemque
legem parentibus omnibus præscribere, ut filii
Baptisma ministrent; si illi id exequi detrecta-
verint, poterunt a politica Potestate com-
pelli. Denique licet ad Ecclesiasticum Princi-
pem non pertineat de iis, qui foris sunt, ju-
dicare; hortari tamen posset, si vellet, Politici-
cum Principem, cui subduntur infideles, ut
eorum filios baptizare juberet.

Reponunt z. Thomistæ. Idem, proportione
servata, jus habet Ecclesia baptizandi filios in-
fidelium ante usum rationis, quod habet bapti-
zandi, & trahendi ad fidem quoscumque infi-
deles etiam adulti: atqui Ecclesia non acce-
pit a Christo jus & potestatem cogendi infide-
les adultos ad fidem, eosque baptizandi invi-
tos; sed potius servandi ordinem naturalis ju-
stitiaz, illos alliciendo, & persuadendo, juxta
ea Christi verba: *Docete omnes gentes: nou au-
tem ordinem naturalis justitiaz pervertendi, co-*
gen-

gendo videlicet eos vi armorum ad Baptismum: ergo pariter non accepit a Christo jus & potestatem, per vim auferendi filios a cura, & sive parentum, in quorum voluntate voluntas infantis continetur; sed hortandi eos, & persuadendi, ut filiorum baptismo, eorumque instructioni consentiant.

Ita tamen Scotistæ occurunt. Dum armorum vi ad Baptismum traherentur adulti, iam præsumerentur inviti, & omnino nolentes: at, ut Toletana IV. Synodus anno 633. can. 57. ait, *non inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustæ: sicut enim homo proprii arbitris voluntate serpenti obediens perire, sic vocante gratia Dei proprie mentis conversione quisque credendo salvatur.* Infantes autem, dum invitis parentibus baptizarentur, ipsi Baptismo minime repugnarent; & oppido falso est, quod relate etiam ad Baptismum voluntas infantis in parentum voluntate continetur; alioquin illorum infantium baptismus esset invalidus; quod nemo unquam afferuit.

Addunt præterea, quod extraordinario saltem in casu liceat adultos cogere ad Baptismum, & aliquo modo ad fidem compellere; non quidem morte, gravibusque tormentis, sed mitioribus poenis, puta exilio, vel spoliatione bonorum; ut ita simpliciter volentes, quamvis secundum quid inviti fidem, ac Baptisma suscipiant. Lege quæ diximus in lib. 24. c. 13. ad 2. argum. Plura etiam huc faciunt, quæ scribit Augustinus in epist. 93. alias 48. ad Viancentium Donatistam, ubi inter alia inquit: *Paganis nos blasphemare possunt de legibus, quas contra idolorum cultores Christi Imperatores rulebunt;*

96 *De Theologicis Institutis*

runt ; & tamen ex eis multi correcti , & ad Deum unum verumque conversi sunt , & quotidie convertuntur .

Urgent vero Thomistæ . Religiosissimi Principes , neenon Pontifices Summi , sanctitate , doctrina , & zelo religionis insignes , quamquam construxerint pro Neophytis , & Catechumenis domos amplissimas , nunquam tamen parentibus a fide alienis subripuerunt infantes ; sed invitando singulos , neminem repellendo , cogendo neminem , servaverunt Christi instituta , & propugnatam a S. Thoma sententiam perpetua consuetudine comprobatarunt .

Sed Scotistæ ita hunc nodum expediunt . In hac re , sicut & in aliis multis , non tantum quid licet , verum etiam quid expedit , videndum est , juxta Apostoli monitum in i. ad Cor. c. 6. v. 12. Non enim actu facile conditio-nes occurrunt , quas Ven. Scotus assignat cita-to in loco n. 2. inquiens : *Si Princeps hoc face-ret cum cautela bona , scilicet ne parentes prius cognoscentes hoc futurum , occiderent pueros suos , & quod baptizatos faceret religiose educari , bene fieret . Etsi ergo licitura , non tamen expediens est , invitatis parentibus infidelium filios baptizare , 1. quia possent illi hos necare , ne Baptisma recipieren : 2. quia infideles etiam Reges ea agendi ratione lacesciri possent Fide-lium filios in superstitionem inducere : 3. quia infideles subditi tumultus ac rebellionem in Christianos Principes excitarent . Quoniam vero hæc , aliaque ejusmodi incommoda ex se non actionis naturam , sed infidelium pravitatem consequentur ; idcirco baptizandi actio absolute , ac simpliciter licita est , quamvis pruden-*

dentia dicit eandem actionem omittere : ac propterea Christiani Principes ; Summique Pontifices infidelium filios reluctantibus parentibus baptizare minime consueverunt ; sicuti neque baptizare solent quorundam haeticorum filios ipsis invitit ; quod tamen omnino licere Thomistæ conceduat .

Objectant postremo Thomistæ cum P. Berti in lib. 31. c. 17. circumcisionis exemplum . Neque enim facta sibi a Domino permissione , neque recepta unquam consuetudine , circumcidunt Hebræi subjectas sibi nationes civili damnataxat politia , si aut pro se , aut pro puerulis repugnaverunt adulti ; uti non obscure colligitur ex Gen. c. 17. & ex Exodi c. 12. itemque ex Josepho in lib. 13. Antiquit. Judaic. c. 8. & 13. Idem ergo in Baptismate iniiciandis est observandum .

At promptum obviumque habent Scotistæ responsum , non idem de Baptismate ac de circumcisione ferendum esse judicium . Hæc enim quamvis ad delendum originale peccatum fuerit instituta , non tamen pro universo hominum genere , sed tantum pro iis , qui ex Abraham stirpe prodierant ; sicuti neque Mosaica lex pro omnibus singulisque hominibus lata fuit : nam ex ceteris gentibus extitere Fideles , qui sibi suisque parvulis vel per sacrificium , vel per sacramentum legis naturæ , justificationis gratiam comparabant . Evangelica vero lex omnes ac filios ad sui observationem obstringit , & Baptismus ut unicum justificationis ac salutis remedium datum est . Tenetur itaque quilibet parentis filio suo procurare Baptismum ; quod nisi praestiterit , poterit Prin-

98 De Theologicis Infirmitatibus

ceps, erga subditos suos coacta va potestate præditos, ad defensionem innocentis pueri patrem cogere, ut eidem Baptisma procuret, ipsumque quam cieus a diaboli servitute, & a periculo eternæ mortis eripiat. Sed hac de re inter alios legendus est P. Mastrius in 4. disp. 2. q. 4. a. 1. & 2.

C A P U T X.

*An baptizari possint infantes materno
ad hoc in utero existentes? Quid-
que de monstruosis fæti-
bus dicendum sit.*

Propositio. Infantes materno adhuc in utero clausi baptizari non possunt.

Probatur cum S. Thoma in p. 3. q. 68. a. 11. *De necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluitur, cum baptismus sit quedam ablutio: corpus autem infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua: ergo sic.*

Deinde Baptismus est Sacramentum regenerationis: at qui generatus non est, regenerari non potest. Unde Augustinus in epist. 137. olim 57. ad Dardanum ait: *Nec renasci quicquam potest, antequam natus sit: & paulo infra: Non video, quomodo edificantur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati.* Præ-

Præterea , adscisci inter Ecclesiæ membra , quod fit per Baptismum , est dumtaxat eorum , qui prodierunt in lucem , qui fruuntur ceterorum hominum confortio , qui ad Ecclesiæ formam pertinent , & in cœtum ejus visibiliter adunantur . Atqui ejuscemodi non sunt infantes , antequam aliqua saltem sui parte egrediantur ex utero . Hinc Seraph. Doctor in 4. d. 6. p. 2. a. 1. q. 1. inquit : *Triplex status distinguitur in homine post animæ infusionem . Primus est in utero : secundus extra uterum in statu infantiae : tertius in statu naturæ adultæ . . . In primo ergo statu cum soli Deus sit notus , potest per ejus voluntatem sanctificari , non per nostram cooperationem , cum non cognoscat eum Ecclesia , nec sit de foro Ecclesia :* O.c.

Denique , uti recte inquit Ven. Scotus in Reportatis lib. 4. d. 4. q. 3. *Baptismus est materialiter ablutio corporis exterior , & ideo oportet baptizatum necessario ablutum esse , & sanguis aqua , aliter non esset Baptismus . Unde si puer involveretur in corio , & immergeretur in puto , puer non esset baptizatus , quia non est ablutus ; & per consequens Baptismus non esset verum signum : & signatum , quod signat , est ablutio animæ interior , & per gratiam invisibilem : & ideo si signum non sis ablutio corporis exterior per applicationem aquæ ad corpus , est signum falsum ; quod est inconveniens .*

At dices 1. Puer in ptero matris existens , aliquid matris esse videtur ; ergo si baptizeatur mater , baptizatur & puer , quamvis nondum ex ejus utero sic egressus ,

Resp. cum Angel. Doctore in citato loco , quod hoc esse non potest , tum quia anima pueri

100 *De Theologicis Institutis.*

ad cuius sanctificationem ordinatur baptismus,
distincta est ab anima matris, cum quia corpus
pueri per animati jam est formatum, & per
consequens a corpore matris distinctum: & ideo
baptismus quo mater baptizatur, non redundat
in prolem in utero matris existentem. Unde Au-
gustinus dicit contra Julianum, lib. 6. c. 14. Si
ad matris corpus, id quod in ea concipitur,
pertineret, ita, ut ejus pars deputaretur, non
baptizaretur infans, cuius mater baptizata est,
aliquo mortis urgente periculo, cum eum ge-
staret in utero. Nunc vero cum etiam ipse
baptizatur, non utique bis baptizatus habebi-
tur. Non itaque ad maternum corpus, cum
esset in utero pertinebat.

Dices 2. Infans in utero infici potest origi-
nali peccato: ergo multo magis ab illo poterit
expiari; cum efficacius sit Christi donum ad
salutem, quam Adæ peccatum ad damnatio-
nem, uti scribit Apostolus ad Rom. c. 5.

Resp. originale peccatum contrahi genera-
tione carnali, ideoque statim ac foetus est ani-
matus: expiatur autem visibili regenerationis
Sacramento, ac visibili Ministrorum Ecclesiae
actione, & consequenter postquam foetus in lu-
cem exivit. Hinc quod adhuc pueri, dum in
matris utero concluduntur, ordinario baptismi
remedio sanctificari non possint, oritur ex de-
fectu ipsorum infantium, qui minime sunt ca-
paces, ut sibi tale remedium applicetur; non
ex inefficacia doni, meritorumque Christi, qui
sicuti extraordinaria via B. Virginem, Joan-
nemque Baptistam sanctificavit in utero, ita
& omnes posset sanctificare, si velice. Vide
Scotum in 4. d. 4. q. 3. n. 4.

Di-

Dices 3. cum quibusdam Recentioribus. Initio puerperii ostium uteri aperitur ; ac potest tunc infans per siphunculum , aut clysterem aqua perfundi ; ergo & baptizari tunc poterit , quamvis secundum nullam corporis partem sit egressus ex alvo . Antecedens constat ex Medicorum observationibus , ex quibus potius questionis hujusc solutio petenda est , quam ex Theologis . Hi enim idcirco in contrarium abidere sententiam , quod putarent ante nativitatem *ex utero* infantes ablui non posse . Ac docent oppositum Medici , Anatomici , obstetrics ; quibus attendendum esse demonstrat illud Propertii :

*Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.*

Resp. argumentum istud in Gabrielem Gualdum , aliosque perpaucos opinionis suæ patronos merito retorqueri . Nam , si navita de ventis , de tauris narrat arator ; Medici , & obstetrics de corporeo partu , non de regeneratione spiritus , de medicamentorum applicatione , non de administratione Sacramentorum narrare debent ; de hac enim audienda est Ecclesia , quæ Apostolicis traditionibus , Sanctorumque Patrum decretis innixa ita prescripsit in Rituale Romano tit. de baptiz. parvulis : *Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membra emiserit, ... in illo, si periculum pendeat, baptizetur: & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. &c.* Denique ne baptizetur infans , cuius nulla pars extra uterum ap-

102 *De Theologicis Institutis*

paret, præcipitur etiam in Rituali Gregorii XIII., in Sacramentali Ambrosiano edito iussu S. Caroli, in Manuali Parochorum pro Provincia Salisburgensi, in Pastorali edito pro Ecclesia Mecklenensi iussu Joannis Hauchini Archiepiscopi, in Rituali Sacramentorum ad usum Ecclesiae Bononiensis, &c. neque tandem in ullo Rituali alicujus Ecclesiae libro permittitur baptizari puerum, qui *extra uterum* nullam corporis sui partem emiserit. Jure ergo meritoque sententiam nostram docuere Scholastici omnes antiquiores, & ex recentioribus insu-meri, paucissimis duntaxat exceptis.

Neque ratio adducta subsistit. Ex dictis enim apparet, quod ut infans sic capax baptismi, non sufficiat quod ablui possit; sed requiritur etiam, ut natus sit, ut versetur in foro Ecclesiae, ut in visibilem Corporis Christi compaginem possit aptari. Neque demum observatio de aperitione uteri est posterioris ætatis; cum de illa scripserint Hippocrates de nat. puer. alii-que Medici vetustissimi apud ipsum Gualdum c. 5. & tamen nunquam Ecclesia docuit, ut in-fantes in utero puerperii tempore baptizentur.

Instabis. Aperto uteri ostio fœtus est suffi-cienter visibilis: nam aliquando manibus im-missis extrahitur; atque etiam in alvo exi-stens, si tenellum illius caput lœdatur, cata-plasmate juvari potest, & forte curati: quidni etiam juvandus non erit spiritali remedio?

Resp. fœtum in utero non ita esse visibilem, ut versari censeatur in foro, & notitia Ecclesiae; cum plerumque dignosci nequeat, an sit mortuus aut vivens, an sit homo vel mon-strum: & quaravis id tactu perciperetur, no-ta-

tamen esset talis vita, per quam infans in hominum contubernio, & in Ecclesiæ foro quomodolibet versaretur; & ideo licet capax esset emplastri, non foret capax Baptismatis. Præterea quemadmodum emplastrum apponendum non esset periclitante vita corporis, si inhiberent id Medici; ita in casu non est ministrandum Baptisma, cum id vetet Ecclesia.

Cum autem ex hucusque dictis appareat, periclitantem puerum non esse baptizandum, nisi caput emiscerit, aut saltum membrum aliquod præditum vitali mortuus; oblitus quæstio, an aperienda sit mater prægoans, præsertim si Medici de ejus vita desperent, ut spirituali saltu infantis saluti consolatur. Sed nunquam fas est aliquem, etiam periclitantem, occidere, ut alteri succurratur; ideoque tunc dissecatio matris utero extrahendus est fœtus, cum mater extremam obierit diem. Id vero, quoniam Rituales libri, Theologi omnes, ipsaque naturalis legis rudimenta inconcussum, atque exploratissimum esse declarant, non est prolixiori disquisitione expendendum. Lege S. Thomam in p. 3. q. 68. a. i.i. ad 3.

Quod postremo ad monstruosos partus attrinet, cum Rituali Rom. in §. supra citato notandum est, magnam in illis baptizandis apprehendam esse cautionem, ac si opus fuerit, consulendum Episcopum, aliosque peritos, nisi periculum mortis immineat.

Monstrum quod humanam speciem non praeservat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo*, &c.

Illud vero, de quo dubium est, una ne, aut
G. 4 plu-

104 *De Theologicis Institutis*

plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur: discerni autem potest, si habeat unum, vel plura capita, unum, vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque distincti, & eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo, &c.* Si vero mortis periculum immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit Minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris, &c.* Quando vero non est certum, in monstro duas esse personas, vel quia duo capita, & duo pectora bene distincta non habet; tunc debet primum unus absolute baptizari, & postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* De his plura leges apud Gotti, Sotum, Sylvium, aliosque,

C A P U T XI.

Ubi de adulorum Baptismo differitur.

DE adulorum Baptismate hic agentes, primum advertimus, veram sinceramque intentionem in eis exigi; ut valide possint Sacramentum accipere; ut etiam in superioris libri c. 13. propos. 2. notavimus. Nemo enim ingredit in Ecclesiam potest, nisi volens: unde Baptismati interrogatio illa praemittitur, *Vis baptizari? ac re ipsa confertur Catechumeno respondenti, Volo...*

Ut

Ut vero licite iidem adulti Baptisma recipiant, oportet, quod illis dispositionibus intruantur de quibus egimus in lib. 23. c. 4., si de videlicet, spe, Dei dilectione, & pœnitentia; ac denique dum suscipere Baptisma propounderunt, novam vitam inchoent, Deique mandata custodiant necesse est. Has enim dispositiones ad Baptismum requiri semper agnovit Ecclesia, quæ tot præviis catechesibus, ac probationibus informabat eos, qui baptizari petebant; sicut ex notitia Catechumenatus ostenditur.

Catechumerus itaque, græce, *Katæchomenos*, ille dicitur, cui viva voce fidei elementa traduntur; est enim participium passivum verbi *κατηχειν*, quod idem sonat, ac *instruo*, *erudio*, *elementoque religionis instituo*. Tres autem in classes a pluribus Theologis Catechumeni distinguuntur; scilicet in *Audientes*, *Genuflectentes*, & *Competentes*. Nonnulli vero sentiunt *Genuflectentes* non fasile diversos a *Competentibus*, qui crebris orationibus, ac pœnitentiis subjiciebantur; classesque Catechumenorum ita distribuunt, ut prior sit *Audientium*, *Competentium* altera, tertia *Electorum*. Alii denique aliter arbitrantur, quorum hic opiniones referre non vacat; legendum tamen hortamus P. Berti in lib. 31. c. 20.

Qui ergo Christianam Religionem cupiebant amplecti, præsentati Episcopis inter *Catechumenos* recipiebantur, facto illis signo Crucis in fronte, aliisque servatis ritibus, de quibus infra tractabimus. Deinde ad audiendum Dei verbum admittebantur in eam Ecclesiæ partem, quam hodie *nauim* appellant, & in qua certum est habitas olim suisse conciones. Quare idem

106 De Theologicis Institutis

locus, in quo Catechumeni consistebant, ~~xerum~~, id est, Auditoxium, dictum est, ipsique Catechumeni, Audientes. Hi primam classem constituant, & si vim nominis attendamus, proprie sunt Catechumeni, nimirum, Edocti, quamquam eo nomine late accepto designentur Competentes quoque, & Eletti.

Catechumenis dabantur Eucogiae, sive panis benedictus, qui quædam erat corporis Christi figura. Concone autem audita ab Ecclesia dimittebantur, clamante ex ambone Diacono, Catechumeni discedite, ne illis mysteria pateferent, ob arcani scilicet disciplinam. Interrogabantur ante discessum, an sectari vellent eam vivendi rationem, fusisque pro ipsorum salute precibus, insidemque abeuntibus, sequebatur Missa Fidelium, incipiens ab offertorio: atque hinc pars Missæ præcedens Missa Catechumenorum appellabatur.

Expleto Catechumenatus, sive Audientie tempore, pro Episcoporum discretione, & qualitate initandorum, longiori, aut breviori, qui Baptismi desiderio flagrabant, ad illum admitti supplici demissione petebant: Hi sunt, qui secundam Catechumenorum stationem tenent, scilicet Competentes. Unde Isidorus in lib. 8. Orig. c. 4. inquit: Competens vocatur, qui post instructionem fidei competit gratiam Christi. Inde a petendo competens vocatur. Ex quo patet, Competentes post Audientes esse locandos. Baptismum ergo petebant in terram prostrati, nomenque suum dabant, ac interim assiduis orationibus incumbebant; ut constat ex Tertulliano in lib. de Bapt. c. 19. ex Augustino in lib. de fide & oper. c. 6. ex Nazianzeno orat.

40. ex Cyrillo Jerosol. catechesi 3. aliisque ; qui etiam scribunt eo temporis Catechumenos confessos patrata crimina , non sacramentali Confessione , sed ea , quæ ipsorum conversionis , meliorisque propositi foret indicium : atque ita omni conatu se ad percipiendum regenerationis gratiam præparabant .

Interim quoque Ecclesia omnem adhibebat diligentiam , ne initiantur indigni , instituto circa Competentes examine , quod scrutinium vocabatur . Septem vero scrutinia ex Ordine Romano fiebant , a tertia hebdomada in Quadragesima usque ad Sabbatum sanctum : & si quis Catechumenorum interea temporis flagitium aliquod perpetrasset , ad Audientium classem remittebatur . Præcipuum vero scrutinium habebatur feria iv. majoris hebdomadæ , quæ propterea dies scrutinii dicta fuit , ut scribunt Rupertus de divinis Officiis lib. 4. c. 18. Hugo Victorinus s. de Sacram. c. 17. Dufresne , Martenius , aliique .

Nisi prioribus scrutinis Competentes inventi fuissent indigni , illis Symbolum tradiebatur , & dicebantur *Electi* : quo nomine designantur qui initiandi , aut consecrandi sunt , priusquam initiantur , aut consecrantur , ac præsertim Episcopi . Hoc nomine appellantur Catechumeni in Ordine Romano , ubi agitur de die scrutinii , idest feria iv. majoris hebdomadæ , ad quam Fideles omnes invitantur his verbis , Scrutinii diem , dilectissimi fratres , quo Electi nostri divinitus instruuntur , imminere cognoscitis : ibidem solita devotione , succedente sequenti quarta feria , circa horam tertianas convenire dignemini .

In majori itaque hebdomada accepto Symbo-

108 De Theologicis Institutis

bolo Competentes dicebantur *Electi* : immo Casalius contendit Competentes appellatos fuisse *Electos* eo tantum die , quo baptizabantur , ex Siricio epist. i. ad Himerium c.2. Ut ut autem se res habeat , *Electos* ad sublimiori Catechumenorum classem pertinere compertum est . Symbolum tradebatur in die Palmarum , ex Alcuino de div. Offic. cap. de Dom. Palm. & Isidoro lib. i. c. 27. Idecirco Dominica Palmarum *Pascha Competentium* vocabatur . Reddebant Catechumeni Symbolum , sive illud memoriter recitabant in Sabbato sancto paulo ante Baptismum , juxta Romanæ Ecclesiæ morem , alibi vero ipsum serua quinta reddebant . Denique una cum Symbolo Catechumenis *Oratio Dominica* tradebatur , quam in proxima Pascha- li solemnitate post Eucharistiam recitabant .

Quæ hæc tenus dicta sunt , non obscure demonstrant , quod hac nostra ætate quamvis antiqua Canorum disciplina quoad Catechumenos non servetur , nec amplius triplex exposita Catechumenorum classis in usu sit ; si tamen Baptismum per adultus , paganus , aut Judæus , aut baptizatus in heresi absque debita materia , vel sine præscripta forma verborum , non ille statim ac sine delectu tingendus est ; sed ejus est exploranda voluntas , dandaque opera , ut rite ad justificationis gratiam disponatur per virtutum actus superius recensitos . Unde Rituale Romanum in tit. de Bap. adultorum ait : *Si quis adultus sit baptizandus , debet prius secundum Apostolicam regulam in Christiana fide , ac sanctis moribus diligenter instrui , & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri , ejusque voluntas , & propositum saepius explorari , & non*

*non nisi sciens, & volens, probeque instructus
baptizari.*

Oritur hic quæstio, quid observandum sit circa adultum Catechumenum, qui ante expletum catecheseos tempus infirmitate corripitur, præsertim si obmutescat, neque divinum munus expostulet. Sed si præ oculis habeantur quæ in lib. 24. c. 13. diximus, profecto perspicuum est, Catechumenum illum esse baptizandum, cum ad suscipiendum Baptismum intentio interpretativa sufficiat. Hinc Augustinus in lib. 1. de adulterinis conjugiis c. 26. scribit: *Catechumenis ergo in hujus vita ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adbuc vivant, petere sibi tamen baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, proposit eis quorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adbuc patuit.* Imo eodem in lib. c. 28. censuit S. Doctor baptizandos illos esse, quamvis scelerosam vitam duxerint ad subitum usque mortuum, præ cujus gravitate usum vocis ac rationis amiserint. Quia vero opponi poterat, *Quis scit, an illi tunc deposuerint peccati affectum, velintque Baptisma suscipere?* respondet Augustinus c. 26. *Sed non solum incredibile est, nec in fine vitae hujus baptizari Catechumenum velle; verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volensi negare: ubi vellit, an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se prius fuisse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus jam creditit, non se oportere de corpore exire.* Ita sentit S. Augustinus, ea tamen mode-

110 De Theologicis Institutis

destia, ut oppositum sentientes damnare non audeat. Hic recolenda sunt quæ scripsimus in lib. 24. c. 4. dub. 4. quæque habet P. Bertii in lib. 31. c. 21. q. 3.

Præterea queri potest, quo tempore solemnis adulorum Baptismus sit celebrandus. Hac autem de re in Rituali Romano iure ita præscribitur: *Decet autem bujusmodi baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato sancto Paschalis, vel Pentecostes solemniter celebrari. Quare si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, baptismum differri convenit. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes, aliqui conversi fuerint, qui ægerferant suum baptisma in longum tempus differri, O ad illud festinent, instructique, ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.*

Ratio autem, cur Romani Pontifices ex pœnitentiâ traditione, & ex Ecclesiarum consuetudine prædictis diebus conferendum Baptismus statuerint, eruitur ex Tertulliano lib. de Bapt. c. 19. ubi ait: *Diem baptismi solemniorum Pascha praefas, cum O passio Domini, in qua singimur, adimplera est . . . Exinde Pentecoste ordinandis levacris latissimum spatum est, quo O Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, O gratia Spiritus Sancti dedicata, O spes adventus Domini subostenata. Similia docet Leo M. epist. 16. ad Episcopos Sicilie, Aequum est igitur, ut adulti prædefinito tempore baptezentur.*

Quia vero quæ ad disciplinam pertinent, variationem sœpen numero patientur, non est tempus illud necessario observandum. Iovemus quippe aliquando collatum fuisse Baptismum in

Lib. XXV. Cap. XI. III

in die Epiphaniæ, ut testantur Walafridus Stra-
bo in lib. de rebus Eccl. c. 26. Victor Vitensis
in lib. 2. de persecut. Vandalica, & Joannes
Moschus in Prato spirit. c. 214. Scribit etiam
Avitus Viennensis epist. 7. Clodovæum Fran-
corum Regem eo die baptizatum, quo natum
Cœli Dominum mundus accepit. Denique ut ci-
tato in loco inquit Tertullianus, *Omnis dies
Domini est, omnis hora, omne tempus, babile
baptismo: quod legitur & apud Basilium in
exhort. ad Baptismum.*

Postremo de amentibus, & furiosis id nota-
mus quod præcipit Rituale Romanum, eos
nempe baptizandos non esse, nisi a nativitate
tales extiterint; tunc enim idem de illis, ac
de infantibus, judicium faciendum est; possunt
que in fide Ecclesiæ baptizari. Si vero lucida
habeant intervalla, dum sunt mentis compo-
tes, regenerandi sunt, si velsnt. Quod si ante-
quam insanirent, suscipiendi Baptismi deside-
rium ostenderunt, ac instet vitæ periculum;
etiamsi non sint mentis compotes, sacro fuc-
tingendi lavacro. Idem quoque digendum est
de eo, qui lethargo, phrenesive laborat; ut
nempe dum vigilat, & intelligit, baptizetur;
nisi periculum mortis immineat, si in ipso prius
suscipiendi Baptismi voluntas apparuit. Huc
spectant quæ in lib. 24. c. 13. retulimus ex In-
nocentio III. c. *Majores*, de Baptismo. Deni-
que pro Energumenis eadem regula tenet, ut
patet etiam ex Concilio Eliberitano can. 37.
& ex Arausiano I. can. 15.

CA.

C A P U T X I I.

*Quod de Baptismi necessitate
pertractat.*

Circa Baptismi necessitatem non tantum **M**anicæ, Archontici, Pelagiani, aliquæ antiquiores heretici a vero plurimum aberrant, verum & recentiores, quos inter Joannes Wiclef, teste Thoma Valdensi tomo 2. de Sacram. c. 96. putavit, etiam de lege ordinationis maria, pueros absque Baptismo decedentes justitiam, salutemque per Christi merita adipisci. Bucerus autem in c. 3. Matth. afferuit, pueros prædestinatos etiam sine Baptismo salvari, non prædestinatos vero damnari etiam cum Baptismo. Autumavit Calvinus, baptizatorum filios fieri salvos absque regenerationis lavacro, adultos autem per solam fidem obtinere justitiam. Socinus denique commentus est Baptismi nomine in sacris literis Evangelicam significari doctrinam; & baptizari aqua idem esse dixit, ac fidem Christi palam testari; quod vel usitata baptismatis ceremonia fieri potest, vel quacunque alia ratione.

Ex Catholicis vero Cajetanus in p. 3. q. 68. a. 2. scribit, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum baptismi a parentibus, aliisque conceptum, sufficiens esse ut illi salventur; præsertim si morientes Deo offerantur cum aliquo exteriori signo, puta, Crucis, & in-

& invocatione SS. Trinitatis. Qued idem in
a. 11. ejusdem questionis affirmas de parvulis,
qui in matrem uteris perichitantur.

Propositione. Baptismus necessarius est omnibus ad salutem *necessitate mediis*: adultis insuper, qui Evangelicæ legis notitiam habent; & libero arbitrio, necessarius est *necessitate precepsi*.

Probatur 1. pars. Illud ad salutem necessarium est necessitate mediis, sine quo salus ipsa obtineri non potest. At sine Baptismate salus obtineri non potest: Christus enim Joan. 3. v. 5. ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quam Domini sententiam Catholica Ecclesia de aquæ Baptismo, ejusque necessitate semper intellexit, ac perpetua observatione intelligentiam ostendit; quippe quæ hoc Sacramentum tanquam ad salutem necessarium materna sollicitudine semper omnibus adhibendum curavit, neque pro Christianis habuit, qui eo iniciati non essent.

Sed & Dominus ipse sententiæ suæ ratione profersens, addit. v. 6. *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est;* quasi diceret: *Cum omnis homo carnalis &c. peccato obnoxius nascatur ex Adam, spiritualis autem & iustus, ideoque & salvus fieri non possit, nisi per Spiritum Sanctum renalcatur, siquidem caro seipsum spiritalem efficere inequit, restat ut ad illud administriculum configatur, per quod Spiritus Sanctus instituit, & sine quo non vult homines spirituales efficiantur. Hoc autem est latacrem aqua, & quidem vera, proprie, ac naturalis, ut etiam in hujusq[ue]*

114 *De Theologicis Ensinatis*
libri c. 2. probavimus. Quare sic consequens,
unumquemque debere ex Spiritu Sancto renasci
per aquam.

Idem ostenditur ex aliis Scripturæ textibus ;
ac præsertim ex illo Petri in epist. i. c. 3. v. 21.
*Quod C^o vos nunc similes formæ salvos facit
baptisma ; ita nimirum , ut sine eo non sit sal-
lus , sicut diluvii tempore nemini extra arcum
salus fuit .*

Ecclesiasticis quoque definitionibus dogma
istud adstruitur. In Diöspolitano Concilio Pela-
gius anathematizare compulsus est, infantes etiam
si non baptizentur habere vitam aeternam ; ut
refert S. Augustinus in epist. 106 ad Bonifa-
cium, nunc 186. ad Paulinum. Item Cartha-
ginense IV. in epist. Synodica ad Innocentium,
inter Augustinianas 90. nunc 185. scribit : *Qui-
gangue negat parvulos per baptismum Christi a
perditione liberari , C^o salutem percipere semp-
ternam , anathema sit . Postremo Tridentinum
fess. 7. can. 5. ait : Si quis dixerit baptismum li-
berum esse , hoc est , non necessarium ad salutem ,
anathema sit .*

Sequuntur & Patres. Ambrosius in lib. 2. de
Abraham c. 11. n. 84. expōens citata Christi
verba : *Nisi quis renatus fuerit , C^o. inquit ;
Nullum excipit , utique non infansem , nam aliquis
preventum recessato .* Augustinus lib. 1. de pec-
cat. mer. c. 16. *Quisquis ex concupiscentia carnis ,
C^o lege peccati C^o mortis carnaliter generatur ,
regenerari spiritualiter opus habet , ut non solum
ad regnum Dei perducarur , sed etiam a damna-
tione peccati liberetur ; sicut enim per primum
hominem in peccato C^o morte passantur , sic etiam
per Christum in justitia C^o vita aeterna in ba-
pti-*

per se renascuntur. Fulgentius de fide ad Petrum c. 3. Ex isto tempore, quo *Salvator noster dixit*: Si quis renatus non fuerit &c. absque sacramento baptismatis nec *Regnum cælorum posset quisquam accipere*, nec vitam eternam. Alia plurima sunt Conciliorum, & Patrum oracula, quæ in brevitatis gratiam omittuntur.

Probatur 2. pars. Omnes quippe ad alibere media illa tenentur, quæ ad consecutionem æternæ vitæ necessariæ requiruntur; nec aliam, si media illa non current, excusationem habere possunt, nisi latæ legis invincibilem ignorantiam. Adulti itaque libertatis usum habentes, si apannatiatum illis sit *Evangelium*, præcepto fuscipiendi baptismatis obstringuntur. Comprehendi autem in *Evangelica lege baptismi præceptum* constat ex c. 28. Matth. *Euntes ergo ducete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. constat que ex Apostolorum praxi, Act. 2. & 8. &c. Lege S. Thomam in p. 3. q. 68. a. i.

Ex dictis refutata manet etiam Cajetani sententia, cum Patres ea Christi verba, *Nisi quis renatus es*, tum de parvulis, tum de adultis intelligent; doceantque, parvulos, nisi re ipsa baptizentur salvari non posse. Nulla igitur, inquit Augustinus in lib. i. de peccat. mer. c. 23. ex nostro arbitrio præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis ingenii præferenda. Hinc merito hæc Cajetani opinio communi Theologorum confessione rejicitur, & a quibusdam etiam inter hæreses recensetur, ipsamque S. Pius V. a Cajetani commentariis expungi mandavit.

Objicies 1. Etsi Christus Joan. 5. v. 54. dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*,

118 De Theologicis Institutis

Con biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; non tamen inde consequitur, Eucharistiam esse etiam parvulis necessariam: ergo licet ipse dixerit: *Nisi quis renatus fuerit, O.c. non sequitur &c.* Et sane parvuli præceptorum vi obstringi non possunt: ergo neque primum, neque alterum Christi mandatum ad illos spectat.

Resp. primi ac secundi testimonii disparem esse rationem. Illud enim, *Nisi quis renatus, O.c. Baptismi necessitatem ostendit*, quia ex carne nascitur caro, idest, quia originalis mortua generatione trahitur; & ob hanc, non ob transgressionem Baptismatis, parvuli non Baptizati Cœlorum regno privantur: *veluti*, inquit Estius in 4. d. 4. §. 27. *si dicamus phrenetico tali*, vel tale pharmacum esse necessarium, non propter præceptum, cuius non est capax phreneticus; sed quia sine tali pharmaco curari non potest. Dominici vero præcepti, *Nisi manducaveritis, O.c.* diversa prorsus est forma; quoniam Christus his verbis non absolute, ac in tertia persona loquitur, sed in secunda componat adulos: quamquam & ad parvulos mandatum illud spectet, si de spirituali manducazione loquamur, per quam Fideles Christi Corpori inseruntur. Denique repetenda disparitas est ex Christi institutione & voluntate nobis in Scripturis & traditione Ecclesiae declarata, qua constat Baptismum quidem, non vero Eucharistiam, iudicatum semper fuisse absolute necessarium ad salutem.

Objecies 2. Deus Gen. 17. v. 7. pactum statuit cum Abraham, & seminæ ejus, fædere sempiterno. Atqui haec promissio per fidem spe-

spectat ad filios baptizatorum , ex Apostolo ad Rom. 4. v. 13. & 9. v. 8. Igitur filii baptizatorum per solam fidem , & absque visibili Sacramento æternam promissionem poterunt adipisci .

Deinde , ex eodem Apostolo ad Rom. 11. v. 16. filii credentium sunt Rami sancti ex sancta radice pullulantes , & in 1. ad Cor. c. 7. v. 14. sancti & mundi dicuatur . Non ergo indigent salutari lavacro .

Denique , post effusum Christi sanguinem facilius est salutem consequi , quam in veteri lege ; in ea autem sola interdum fides defecit . Sacramenti supplebat .

Resp. ad 1. nego consequentiam : sicut enim Judæi procreati ex semine Abrahæ participes foederis sempiterni non erant , nisi circumcisio- nis signum acciperent ; ita nunc filii fidelium non sunt filii promissionis , nec reputantur in semine , nisi in baptismo consepulti sint Christo : & sicut debelatur anima pueri incircumi- cisi de populo Dei , ob præscriptum legis , *Masculus , cuius præputii caro* , &c. ita quisquis baptismo non regeneratur , a Dei regno pro- pellitur , juxta Christi sententiam , *Nisi quis renatus es*. Ceterum Apostolus ad Romanos scribens redarguit Judæos circumcisionem , le- gisque Mosaicæ observationem jalicantem , de- monstratque homines justificari per fidem Christi , nequaquam exclusis Sacramentis , virtutum operibus , &c. Evangelicis institutis .

Ad alterum ex Rom. 11. v. 16. dicimus , Apo- stolum ibi non loqui de sanctitate proprie di- eta , qua quis in se justus est & Dei amicus , sed de analogica dumtaxat ac metaphorica san- citate , qua Deo aliquid consecratur . Affirmat

118 De Theologicis Institutis

enim, Iudeos non ita rejectos a Deo, quin ad illum aliquando sint convertendi; nempe quia sanctorum Patrum filii sunt, proindeque & ipsi morali quadam aestimatione, & quasi analogica sanctitatis aspergine, sunt sancti Deoque dicati. Sic locus, sic pecunia, sic uestes divino dicatae servitio, sanctae dicuntur. Sic denique sanctus omnis Iudeorum populus vocabatur.

Eodem pariter genere sanctitatis, extrinsecæ scilicet & civilis, sancti mundique in citato ad Cor. loco nuncupantur filii ex alteruero fidelis parente progeniti; utpote qui ex legitimo matrimonio orti sunt, & industria parentis fidelis facile possunt in fide instrui, baptisata recipere, veramque sanctitatem acquirere; juxta quem sensum eodem in v. legitur: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidem.*

Ad 3. quod Cajetani argumentum est, responsio patet ex dictis in lib. 24. c. 6. &c. in hujusc libri c. 10, ubi diximus, praesens remedium longe esse facilius, quod in communione obvioque elemento perficitur, habetque ex se efficientiam, non ex fide ministri. Neque unquam infantes absque visibili Sacramento regenerati fuerunt, & maternis in uteris decedentes, nullò prorsus tempore, ab originae labis reatu fuere purgati.

Propositio 2. Baptismus flaminis, idest scandens baptismi votum perfectam cordis contritionem includens, supplet in adultis necessitatem baptismi fluminis, idest aquæ.

Probatur ex S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 2. 2. i. q. 1. *Ioan. 18. v. 16. Christus ait: Omnis qui*

qui vivit, & credit in me, nos morietur in aeternum. Sed Iusti credunt, & fideles sunt, antequam baptizentur: ergo si moriantur in tali fide, non morientur in aeternum.

Item: Ambrosius in orat. de obitu Valentiani dicit: Ille quem regeneratus eram, gratiam quam poposcit, non amisit. Ergo ille qui mortuus erat non regeneratus, erat salvus sine baptismo aquae: ergo baptismus penitentia sine isto dat salutem.

Iam: Gratia gratum faciens est dispositio sufficiens ad salutem: dispositio autem ad gratiam est in rotō corde ad Deum redire, & ab errore discedere; & hoc vocum potest esse per Dei gratiam sine baptismo fluminis: ergo aliquis sola Spiritus Sancti baptimate salvari potest.

Denique, Deus nullum obligat ad impossibile, & nulli se negat requiri: ipsum: si ergo aliquis qui non potest baptizari, ad Deum converterit, Deus converterit ad ipsum. Sed hoc non est nisi per collationem Spiritus Sancti: & hoc est baptizari baptismo fluminis: ergo &c.

Firmatur præterea thesis ex Tridentino Concilio in sess. 6. cap. 4. ubi ait, quod iustificatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus vota fieri non potest, sicut scriptum est, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Similia docet in sess. 7. can. 4. de Sacram. in gen. Legendi sunt etiam haec super re Augustinus in lib. 4. de Bap. c. 22. & Bernardus in epist. 86. ad Hugonens Victorinum.

Objicies ea Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Nemo enim ita renascitur, nisi a quo baptismo mundetur: ergo nemo per sacram baptemati votum in regnum ecclieum ingreditur.

120 De Theologicis Institutis

"Et sane Act. 10. legitur, quod Cornelius, & qui cum eo erant, prius repperunt Spiritum Sanctum, & postmodum baptizati sunt aquæ baptismò : ergo baptizati baptismò flaminis ad recipiendum baptismum fluminis obligantur : ergo per solum flaminis baptismum salus obtineri non potest.

• Resp. ex Seraph. Doctore ibidem: Ad illud quod objicitur de Domini mandato, & ad illud de Cornelio, patet. responsio: quia utramque intelligitur in eo, qui facultatem habet, & non præpeditur necessitate. Nam Cornelius locum & tempus habebat, & Domini mandatum affirmavit, eum: qui poterat, obligabat.

Instabis. Ambrosius in lib. 2. de Abraham c. 11. n. 84. recitata Evangelii sententia, *Nisi quis renatus fuerit, &c. inquit. Nullum excipit, utique non infans, non aliqua preventum necessitate.* Augustinus etiam tract. 4. in Joann. & alibi negat Catechumenum sine baptismò justificari.

Resp. Ambrosium, & Augustinum accipientes de infantibus ; ac de Catechumenis, qui cum sibi justi videantur, virtutem Sacramenti contemnunt ; & in quibus licet sic fides aliquæ & etiam charitas initialis, cum tamen non sit illa conversio cordis, quæ inesse non potest contemnenti baptismum, nec etiam est tale voluntum, quod salvet hominem inopinata morte preventum. Ut enim laudato in loco ait S. Bonaventura, *quis potest salvare non perceper sacramenta baptismi ; sed non potest baptismi sacramento contempso.* Tunc autem contemnit, cum baptizari potest & loca, & tempus se offerat, & negligat ; & cum etiam privatitur bap-

peisno flaminis, quia a gratia cadit. Ad has denique aliasque Patrum sententias exponendas expedita via est, si dicamus, baptismi nomine ipsum etiam baptismi desiderium comprehendi, quando necessitas actualem ejus perceptio- nem excludit; ut bene notat Estius in 4. d. 4. §. 18.

At urgēbis. Ecclesia per quinque priora se-
cula non consuevit sacrificia, & preces offerre
pro Catechumenis absque baptismo defunctis.
Censuit ergo baptismi votum minime necessi-
tatem ejusdem Sacramenti supplere.

Resp. ob negligentiam contemptumque quo-
rundam Catechumenorum procrastinantium ba-
ptisma ad proiectam usque ætatem, ut diutius
improbis moribus indulgerent, jure canone 17.
Concilii Bracarense anno 563. aliisque Ecclesie
statutis definitum esse, ne Catechumeni illi si-
ne sincera cordis conversione defuncti, sancto-
rum communione fruerentur: atque hujusmodi
disciplina consultum est ceteris, ut salutaribus
undis abhui festinarent. Non fuit tamen uni-
versalis illa disciplina, ut constat ex can. 89.
Concilii IV. Carthaginensis anno 398. & ex
can. 12. Concilii II. Arelatensis anno 452.

Notamus ultimo cum S. Bonaventura, quod
parvulus si haberet baptismum flaminis sine ba-
ptismo aqua, nunquam damnatur. Quod ergo
damnatur, hoc est, quia parvulus baptismu aqua,
careat gracia Spiritus Sancti: quia aliter ad gra-
tiam non potest disponi, quantum est de jure
communi, nisi Deus faciat de privilegio speciali;
sicut in sanctificatione in utero. Sed adyulus de
sententia communis potest per fidem, Et dolorem
de peccatis ad gratiam disponi, secundum illud
Eze-

122 De Theologicis Institutis

Ezech. 33. Quaeunque hora ingemuerit peccator, vita vivet, &c. Unde non est simile de parvulo, & de adulto; quia unicuique plus valer fides sua, quam aliorum? & ita adiutorio plus valer voluntas sua, quam parvulo voluntas aliena: nec damnatur parvulus propter transgressiones precepti, sed propter culpam originalem, que remanet non deleta.

: Propositio 3. Martyrium quod sanguinis baptismus vocatur, supplet baptismi aquae vicem cum in adultis, tum in parvulis.

Probatur cum S. Augustino in lib. 13. de C. D. c. 7. Quicunque etiamsi non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum sit valer ad dimittenda peccata, quam si ablucerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Si quis nol renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum coelorum; alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dicit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in coelis est: Matth. 10. v. 32. Et alia loco: Qui perdididerit animam suam propter me, inveniet eam: Matth. 16. v. 25. Hinc est quod scriptum est: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus: Psal. 115. v. 15. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut dolita omnia dimittantur, & mensa cumulatius augeantur?

Huc etiam facit quod ait Christus Joan. 15. v. 13. Majorem bac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Perfecta autem caritas peccata omnia delet, ac prorsus expungit.

Ecce quidem vera, si, ut Superioris dictum est,

est, salutem non amittunt, qui sincere ad Deum conversi necessitate aliqua praepediuntur, ne desideratum aquæ baptismus suscipiant; quanto id magis afferendum est de illis, qui tantam in Deum fidem habent ac dilectionem, ut pro eo etiam mortem obire non dubitent? Profecto Ecclesia semper credidit martyrum vicem supplere baptismatis. Cujus quidem conve[n]tissima ratio hæc a Patribus assignatur: Quia eum baptismus aquæ fiat in mortem Christi, juxta Apostolum Roma. 6. v. 3. Martyres illam non in figura tantum, sed in veritate referunt & imitantur; videlicet cum Christo & pro Christo morientes, ut non in aqua, sed in sanguine suo baptizati merito recteque dicantur. Apposite S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 2. a. 1. q. 2. ait: In baptismis sanguinis amplior, & plenior est imitatio, & professio passionis Christi, quam in baptismis aquæ: nam ibi est professio verbo, & signo sine actu; hic autem non solo signo, & actione, sed & passione. Unde in baptismis aquæ moes significatur, hic autem suscipitur: unde quia expressior est ibi professio fidei, ideo efficacior. Vide etiam S. Thomam in p. 3. q. 66. a. 12.

Præterea Cyprianus in epist. 77. ad Jubajanum de Catechumenis pro fide occisis inquit: Sciane Catechumenos nec privari baptismi sacramento, ut pose qui baptizentur glorioſissimo & maximo sanguinis martyrio, de quo & Dominus dicebat biberet se aliud baptismus baptizari. &c. Et Basilius de Spic. S. c. 15. ait: Sunt nonuli, qui in certaminibus pro pietate, revera pro Christo mortem perpeſſi, nihil hujusmodi sacramentis, que sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, ni-

124 *De Theologicis Institutis*

mirum in proprio baptizari sanguine. Vide & Tertullianum in lib. de bapt. c. 16. Cyrillem Jerosol. catech. 8. Ambrosium orat. de obitu Valentini. n. 53. &c.

Quæ diximus, tenent etiam de infantibus pro Christo necatis; quoniam & hi propriæ sanguinæ baptizantur. Neque ad martyrium requiritur nativitas *ex utero*, cum illud non sit secunda nativitas supponens primam, & etiam in utero clausi possint Christi stigmatibus insigniri. Hinc universi Pares, & Ecclesia semper infantes Bethlehemitos tanquam martyres venerati fuere. Quare S. Augustinus in lib. 3. de lib. Arb. c. 23. scribit: *Non enim frustra etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus nescandus ab Herode quereretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.* Alios quoque, præter occisos ab Herode, puerulos tanquam Martyres Ecclesia colit; ut Modestum, & Ammonium, in Rom. Martyr. pridie idus Februarii, & decem alios idibus Julii. Lege Baroniæ in notis ad Martyrol. Romanum V. Kal. Jan.

Ex dictis complures Theologi magna cum probabilitate concludunt, martyrium valere ex opere operato ad abluenda peccata, præstandamque salutem. Id enim in primis evincitur ex martyrio patvolorum; quibus *ex singulari privilegio*, non *per se* profuisse martyrium, affirmant quidem nonnulli, sed istud nullo valido argumento demonstrant. Præterea Patres non tantum baptismò martyrii comparant, verum & hoc afferunt illo esse præstantius. Ex quo autem martyrium in adultis requirat fidem,

[cha-

charitatem, cordisque conuersationem ad Deum, inferendum minime est, martyrium in illis ex opere operato gratiam non conferre, neque per se efficax esse ad delenda peccata; nam & baptismus ejusdemodi dispositiones in adultis excepto postulat.

C A P U T XIII.

*De Baptismi effectibus, gratia scilicet,
et charactere. Ubi de iis agitur,
qui Baptisma fidei suscipiunt.*

OMNES Baptismi effectus ad duo generatim capita revocantur; ad gratiam nempe, & characterem. Quod ad gratiam 1. pertinet, quæ in lib. 24. c. 14. diximus, non obscure demonstrant illam per Baptismum ex opere operato conferri. Hujuscemodi vero gratiam singulares quædam prærogativæ sequuntur; quarum prima est, quod homo dicatur, ac sit re generatus & renovatus Spiritu Sancto, ad Trium 3. v. 3. natus ex Deo, Joan. 1. v. 13. ex aqua & Spiritu S. renatus, Joan. 3. v. 5. Dei filius, ad Gal. 3. v. 26. Dei hæres, & cohæres Christi, ad Rom. 8. v. 17. aspersus a conscientia mala, ad Heb. 10. v. 22. ablutus, sanctificatus, justificatus, 1. ad Cor. 6. v. 11. membrum Christi, ac templum Spiritus Sancti, ibidem c. 13. v. 19. Hos omnes effectus enumerat Chrysostomus in hom. ad Neophyos, cujus verba

125

126 *De Theologicis Institutis*
secenset etiam Augustinus in lib. 1. contra
Jul. c. 6.

Ex his etiam patet, Baptismum omnia peccata, tum originale, tum actualia, vere proprieque delere. Quate S. Petrus Act. 2. v. 38. ait: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissione peccatorum*. Et Apostolus ad Ephes. 5. v. 26. scribit, quod Christus Ecclesiam sanctificaverit, mundans eam lavacro aquæ in verbo vite. Hunc Baptismi effectum prædixerat Ezechiel c. 36. v. 15. dicens: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatis vestris*. Denique Patres dogma istud perpetuo docuerunt; quos inter Augustinianos in lib. 1. de peccat. mer. c. 15. inquit: *Generante carne illud tantummodo erabitur, quod est originale peccatum: regenerante autem Spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum*. Lege S. Thomam p. 3. q. 69. a. 2. & S. Bonaventuram ip. 4. d. 4. p. 1. a. 1. q. 1.

Præterea per Baptismum simul cum omni culpa afferatur etiam omnis reatus poenæ, non solum æternæ, sed etiam temporalis. Constat id ex antiqua Ecclesiæ praxi, quæ Catechumenis baptizatis nullam unquam satisfactoriam poenam imposuit. Imo si quis in mortis periculo baptizatus, postea convalescet, nulli amplius labore, aut satisfactioni subdebatur; quamquam Catechumenatus spatium minime percurrisset. Non ita vero cum poenitentibus illa se gessit; nam bi recuperata valetudine in eam poenitentias classem reverti tenebantur, in qua ipsos morbus invaserat. Signum est igitur, existimatissime Ecclesiam, quod per Baptismum omnis omnino poena levatur. Unde Augustinus in lib.

lib. 2. de peccat. mer. c. 28. ait : *Si continuo (post baptismum) consequatur ex hac vita migratio; non est omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, qua tenebant. Idem quoque docuit Synodus Florentina in decreto pro Armenis, & Tridentina in sess. 5. can. 5.*

Hac autem in re potanda censemus, quæ scribit S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 1. a. 1. q. 2.
 „ Ab omni æteriali poena absolvit Baptismus
 „ delendo omnem culpat. De temporali vero
 „ distinguendum; quia quadam contrabuntur,
 „ quadam assumuntur. Congrahuntur autem,
 „ sicut fames, & siti, & passiones contempo-
 „ ranæ vitæ: (hæc Theologi usitatius penali-
 „ tates appellant). Quadam imponuntur, &
 „ assumuntur, ut jejunia, & corporalia, &
 „ spiritualia exercitia, & laboriosa opera. Ba-
 „ ptismus ergo absolvit ab omni poena æter-
 „ nali; absolvit nihilominus ab omni poena
 „ temporali satisfactoria, siue assumpta: non
 „ autem ab omni coacta, utpote a fame,
 „ siti, & infirmitate, & ceteris poenis talibus.
 „ Ratio autem hujus est, quod Deus ad hoc
 „ ipsum non ordinavit. Et ratio, quare non
 „ ordinavit, est, quia congruum fuit, quod
 „ hujusmodi poenitentes in nobis relinqueset:
 „ & hoc ad manifestandam æquitatem divini
 „ judicii, ad demonstrandum fructum passionis
 „ Christi, ad promovendum meritum liberi
 „ arbitrii. Ad manifestandam æquitatem divi-
 „ ni judicij, ut illa sententia quam dictaverat
 „ de morte Adæ, & posteriorum ejus, immo-
 „ bilis permaneret; unde ab illa nemo evadit.
 „ Ad ostendendum fructum passionis Christi:
 „ quia si Dominus curaret naturam, & formi-
 „ tem,

128 De Theologicis Institutis

„ tem , filius nasceretur immunita culpa , nec
„ indigeret regenerari a Christo ; ideo ut omnes
„ se ipsis passione noscant egere , data est vir-
„ tus Sacramento a passione ; sive ad hoc or-
„ dinatum est , ut penas remittat personales ,
„ non naturales , quia remedium respicit per-
„ sonam , non naturam .

„ Ad amplificandum meritum liberi arbitrii . Promovent enim ad bonum multipliciter hujusmodi poenitentes . Datur enim
„ propter humilitatem , Job 6. v. 4. Sagittæ
„ Domini in me sunt , quarum indignatio ebit
„ spiritum meum . Propter timoris ihuissionem ,
„ Job ibidem : Terrors Domini militant contra
„ me . Propter sui ipsius cognitionem , Istaiz.
„ 28. v. 19. Tantummodo sola vexatio intelle-
„ ctum dabit auditui . Propter stimulationem
„ ad bonum , Michæz 2. v. 10. Surgite , O
„ iste , quia non habetis hic quietem . Propter
„ exemplum non peccandi , Zach. ap. v. 5.
„ Adam exemplum meum ab adolescentia mea .
„ Propter exercitium virtutum , Judicium 3. v.
„ 1. Haec sunt gentes , quas Dominus detegit ,
„ ut erudiret in eis Israhel . Propter hoc ut
„ sit signum adoptionis filiorum , Hebre. 12. v.
„ 8. Si extra disciplinam estis ; cuius partici-
„ pes facti sunt omnes ; ergo adulterii , O non
„ filii estis . Propter hoc etiam , ut nemo ac-
„ cipiat hoc in retributionis præmium ; ne scilicet
„ dominos propter hoc ad Baptismum
„ venirent . Si enim daretur ibi immortalitas ;
„ propter hoc plures accederent ; quam propter
„ gratiam ; nec fides tunc haberet meritum ,
„ cui humana ratio præberet experimentum :
„ ex Gregorio hom. 26. in Evang.
Denique supradictæ etiam poenitentes virtu-
te

de Baptismatis in resurrectione sunt auferendæ,
quando ut ait Apostolus in 1. ad Cor. 15. 54.
Mortale hoc indueris immortalitatem, & fies
sermo, qui scripsus est : Absorpta est mors in
victoria. Lege S. Thomam in p. 3. q. 69. a. 3.

Alter præcipuus Baptismi effectus est character, de quo cum actum sit in lib. 24. c. 28. non oportet, ut iterum differamus. Notandum vero hic superest, quod adulti, qui simulatio animo, idest, interna fide destituti, aut cum peccati mortalis affectu ad Baptismum accedunt, et si gratiam non recipiant, recipiunt tamen characterem; dummodo non baptizentur inviti, & omnino coacti. Ut enim ait Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 14. *Non interest, cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramen-*
zum. Interest quidem plurimum ad salutis viam,
sed ad Sacramenti questionem nihil interest.

Ad percipiendam vero gratiam debent adul-
ti, qui sicut ad baptismum accesserunt, credere,
& penitentiam agere; nam remota fictione
Sacramentum baptismatis revivisicit, & gratiam
justificationis impertit. Unde Augustinus de
baptismo sicut suscepso scribit in lib. 3. c. 12.
Tunc valere incipit ad salutem, cum illa fictio
veraci confessiones recesserit. Et in lib. 3. c. 13.
idem docet de hereticis, assenserens tuac illis ad
dimitienda peccata valere baptismum, *cum ad*
Ecclesie pacem venerint: nec aliter de Christia-
nis, qui solum verbis, & non factis seculo re-
nuntiant, scribit in lib. 4. c. 3. affirmans hoc
illis veram conversionem præstare, Ut Sacra-
mentum, quod non mutatis valebat ad perniciem,
mutatis valere incipiat ad salutem.

130 De Theologicis Institutis

Hujusce autem assertio ratio obscura non est. Originalis enim peccati remissio obtineri non potest, nisi per baptismum in re, vel in voto suscepit: atqui is qui fide ad baptis-
mum accessit, recedente fictione, remissionem illam obtinere non potest per baptismum de novo in re susceptum; quia qui semel valide baptizatus est, non est iterum baptizandus: neque per baptismum in voto; quia jam baptizatus nequit habere votum iterum suscipien-
di baptismum, cum Sacramentum istud iterari non possit. Ergo originalis peccati remissio hoc in casu obtinetur per baptismum, qui jam ante fidem susceptus, postea reviviscit, suunque sortitur effectum: altoquin actum profecto es-
set de salute ejus, qui baptismum fidem recepit;
cum per poenitentiae Sacramentum non origi-
nale peccatum, sed actualia solummodo post baptismum commissa tollantur.

Objectare hic solent 1. quod baptismi suscep-
tio in simulantibus sit *opus mortuum*; ideoque
reviviscere nequaquam potest. 2. Dum remo-
vetur obex, baptismus non amplius existit; er-
go nequit aliquid operari. 3. Fictio baptismus
præcedit, & tamen potest per solam poeniten-
tiā remitti: idem igitur dicendum est hoc in
casu de originali peccato, aliusque præcedenti-
bus baptismus cum fictione susceptum.

Ad 1. cum S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 1.
2. q. 3. responderemus, quod baptismus non est
opus hominis, sed *Dei*: Et ideo nunquam potest
esse mortuum. Illud autem, quod dicitur de o-
peribus mortuis, intelligitur de operibus nostris.

Ad alterum ait S. Doctor, quod character
semper manet, Et illud efficit, quod faceret gra-
tia

sia, fictione recedente. Ita etiam respondet S. Thomas in p. 3. q. 69. a. 10.

Subtilius autem argumentum istud diluit **Vern** **Scotus** in Reportatis lib. 4. d. 4. q. 5. inquiens, quod fictus fictione recedente statim recipit gratiam baptismalem, quam etiam receperisset in baptismo, nisi obex fictionis tunc insuisset; non quia character impressus in baptizato aliquid disponat, vel agat ad susceptionem gratiae, ut dicit **Richardus**; sed Deus ex eadem actione, qua affixit suo signo efficienti ad conferendam gratiam, si fictio tunc temporis non insuisset, eadem confert gratiam fictione recedente, quod fuit impedimentum quare gratia non insuit.

Ad 3. In eo qui fide baptisnum recipit, multiplex actus distingui potest. Primus, quo simulate ad baptisnum venire deliberat; & iste cum susceptionem baptismi praecedat, non poenitentia, sed ipso baptismo deletur. Alter fictionis actus in ipsa sacrilega baptismi susceptione potest intelligi; & hunc per poenitentiam tolli passim **Scotistæ** propugnant, quibus vero simile non videtur, tale fictionis peccatum directe oppositum baptismo, & ejus effectui, per ipsum baptismum esse delendum. Tertius denique fictionis actus concipi potest post baptismi susceptionem elicitus; quando nempè cum fictionem deponere teneatur, id præstare contemnit: & hoc peccatum proculdubio per Poenitentiam auferitur.

Hic tandem advertimus, quod si quis ante susceptum Baptisma consequetur cum voto Sacramenti remissionem peccatorum adhuc tamen per ipsum regenerationis lavacrum, quod contemnere nemo debet, plura gratiarum cito-

132. *De Theologicis Infirmis*

Iumenta perciperet; id est, characterem, incrementum gratiae, plenam remissionem poenitentiae in altera vita subveniendam, maiorem conscientiam tranquillitatem, cooptationem in visibilem Christi Ecclesiam, & ius ad Sacra menta certa, quibus Fideles in idem religionis nomine coadunati roborantur in fide, nutriuntur, salvantur, aliosque passionis Christi fructus uberrimos affequuntur.

C A P U T XIV.

De Ceremoniis, quas in Baptismi collatione usurpat Ecclesia.

Breviter hoc in capite de praecipuis Baptismi ritibus tractatur, eos cum Catechismo Rom. in p. 3. c. 2. n. 60. in tres classes pro majori facilitate distinguimus: alii enim baptisma praecedunt, alii comitantur, alii denique subsequuntur.

Qui itaque baptismi initiandi sunt, affeuntur, vel adducuntur ad Ecclesiarum fores, atque ab ejus incroitu prohibentur tanquam indigni, qui Dei domum ingrediantur, antequam turpissimum diaboli jugum excusserint.

Tum accedens Sacerdos ab eis exquirit, quid ab Ecclesia petant; & respondentibus illis, vel per se; si adulti, vel per alios, si infantes sint, se baptismum petere, traditur Catechismus, siue Christianae fidei doctrina, quam in baptismo.

mo profiteri tenentur. Hujuscemodi autem consuetudo a Christi præcepto manavit, Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

Sequitur postea exorcismus, qui ad expellendum diabolum, ejusque frangendas vires, sacris, & religiosis verbis, precibusque conficitur. Prinde Sacerdos ter in faciem ejus, qui initian-dus est, insufflat; ut statu antiqui serpentis expulso, amissæ vitæ spiracula cosequatur. De hoc vetustissimo ritu inter alios meminere Justinus M. in dial. cum Tryphonе, Cyrillus Hieros. in catech. myst. 2. Ambrosius lib. i. de Sacram. c. 5. & præcipue Augustinus tum ali-bi, tum signanter in lib. i. de peccat. mer. c. 34, ubi ab exorcismo, quo parvuli in baptismo exsufflantur, demonstrat in eis originale peccatum.

Exorcismus sequitur salis infusio in os ba-p-tizandi, per quod, ut ait Catechismus Rom. citato in loco n. 66., signatur, cum fidei doctri-na, & gratia dono consecutum esse, ut a peccatorum putredine liberetur, saporemque bonorum operum percipiat, & divina sapiencia pabulo delectetur. Quamvis autem ritus iste non servetur a Græcis, per antiquus est tamen; eundemque commemorant Carthaginensis III. Synodus can. 5. Ambrosius lib. 10. in Lucam n. 48. Augustinus lib. 1. Confess. c. 11. aliquæ complures.

Sacerdos præterea Crucis signo communis frontem, oculos, pedes, humeros, aures, na-reas, & os baptizandi; per quod ostenditur baptismi mysterio sensus baptizati aperiri, ac roborari, ut Deum excipere possit, ejusque præ-

134 De Theologicis Institutis

præcepta intelligere, ac servare. De hoc signo
illustria apud Patres testimonia frequenter ac-
currunt, ejusque antiquitas neque a Lutherò,
neque a Calvinò, neque ab hereticis aliis de-
negatur.

Postea vero illi nares, auresque saliva lini-
untur, statimque ad baptismi fontem mittitur;
ut sicut Evangelicus cœus, quem Dominus
jussérat oculos Iuto illitos Siloës aqua ablueret,
lumen recuperavit; ita etiam intelligamus sa-
græ ablutioni viam illam inesse, ut menti ad
cœlestem veritatem percipiendam lumen im-
pertiat. Quamvis autem Græci hac ceremonia
non usantur, antiquam tamen eandem esse
colligitur ex Ambrosio in lib. de Myst. c. 17
& Augustino træt. 44. in Joan.

Hicce perq[ue] ad baptismi fontem acce-
dunt, ubi Sacerdos ita baptizandum interrogat;
Abrenuntias fratane; *O omnibus operibus ejus;*
O omnibus pompis ejus? Et ille, aut ejus no-
mine, Pater, respondet, *Abrenuntio.* Tum
Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechume-
norum, & baptizandum in pectore, & inter
scapulas in modum Crucis insunxit. Indeque
rufus interrogatur: *Credis in Deum Patrem o-*
mnipotentem? ac de aliis item Symboli articu-
lis rogatus, responderet, *Credo.* Quærit postea
mo Sacerdos a baptizando, vel ejus Patrino,
cum baptizari velit; ipsumque annuentem sta-
tim in nomine Patris, & Filii, & Spiritus
Sancti salutari unda baptizat.

Rejiciunt heterodoxi abrenuntiationes, qua-
fiunt in administratione baptismi; et proorsus
immerito, cum apud Veteres frequetissima il-
larum occurset mentio, ut apud Terpilianum
de

de Cosona c. 3. Cyprianum epist. 6. ad Rogatianum, aliosque s̄epissime, quos inter Basilius de Spiritu S. c. 27. abrenuntiationes ex Apostolica traditione descendisse demonstrat, inquiens: *Reliqua item que fiunt in baptismo, veluti renunciare diabolo, ex qua Scriptura babemus?* Quod si quis dixerit, parvulos ratione non uti, neque gestantium verba percipere; reponemus cum Augustino in postremo Opere contra Julianum lib. 2. n. 224. quod abrenuntiantur & parvuli per ora gestantium, sicut credunt per ora gestantium.

De Catechumenorum oleo, quo baptizandi in pectora, & inter scapulas liniuuntur, mentionem faciunt Greci, Latinique Patres, ex quibus Cyrillus Jerosol. catech. mystag. 27. cit: *Illiud enorciatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum cononunicatae.* Et Ambrosius lib. 1. de Sacram. c. 2. *Uncus es quasi atleta Christi, quasi luctam bujus seculi luctaturus.*

Recte etiam in baptismate adhibentur qui baptizatum e sacro fonte levant, eumque infide instituant, & qui Susceptores, Sponsores, Compares, & Patrini dicuntur. Horum mentionem Tertullianus in lib. de Bapt. c. 18. Basilius, Chrysostomus, Augustinus, &c. Circa hunc ritum adnotare sufficiat, quæ Doctor Angel. habet in p. 3. q. 67. a. 7. in respol. Spiritualis regenerationis, quæ sit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. Una de dieitur 1. Patri 2. Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiges nutrice. Ex pedagozo. Unde & in spir-

136 De Theologicis Institutis

spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pedagogi, informando, & instruendo eum, quasi novitium in fide de his, quae pertinent ad fidem, & vitam Christianam: ad quod Prelati, Ecclesia vacare non possunt, circa communem curam populi occupati. Parvuli enim, & novitii indigne speciali cura praeter communem.

Post absolutum vero baptisma Sacerdos famulum baptizati verticem christiane peruenit, ut intelligat se ab eo die Christo Capiti tamquam membrum esse coniunctum, ejusque Corpori insitum, ac ea re Christianum a Christo, Christum autem a christiane appellari. De hac unctione loquitur etiam Innocentius I. in epist. ad Decentium c. 3.

Deinde ueste sibi baptizatus induitur, per quam regenerationis gratia designatur; adenos heterque regeneratus, ut in vita innocentia, unimque candore perseveranter incedat. Infantibus autem, qui uestibus non utuntur, linctuolum candidum ad hoc idem demorandum imponitur. De hac ceremonia agunt Ambrosius lib. de Myst. c. 7. Augustinus serm. 223. alias 81. de diversis n. 1. Paulinus epist. 12. ad Severum, &c.

Postea ardens ei cereus in manum traditur, ut signum fidei charitate ardantis, quam in baptismo acceptam, bonorum operum studio, alere semper, & augere tenetur. Hunc ritum ex vetustissima confustudine venientem laudant Gregorius Nazianzenus Orat. 40. in S. Lavacrum, & Augustinus in Psalmum 63.

Denique notamus baptizato nomen imponi, quod quidem ab aliquo sumendum sit, qui pro-

propter excellentem animi pietatem , & religionem in Sanctorum numerum relatus est . Ita enim , inquit Catechismus Rom. in loco citato n. 75. facile fiet , ut quivis nominis similitudine ad sanctuatis , & virtutis imitationem exicitur ; ac præterea , quem imitari studeat , eum quoque precetur , & speret sibi ad vocatum ad salutem tum animi , tum corporis defendendam venturum esse . Quare idem Catechismus , ac Patres etiam passim hortantur , ne gentilium nomina pueris imponantur ; de quo legendus est Chrysostomus hom. 2. in Gen. & hom. 12. in epist. 1. ad Cor. & Theodoretus serm. 8. de Græc. affect.

Breviter postremo nonnullas addimus ceremonias , quæ in desuetudinem abierunt . Ac primo certum est , traditam olim baptizatis Eucharistiam tum adultis , tum etiam parvulis ; ut liquet ex Tertulliano de Bapt. c. ult. Ambrosio de initiandis c. 8. Paulino epist. 12. ad Severum , Augustino pluribus in locis , &c. Ritu hunc Græca adhuc observat Ecclesia ; Latina non item : qua de re legendum est Concilium Tridentinum in sess. 21. c. 4.

Deinde baptizatis mel , & lac degustanda dabantur ; ut patet ex Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 6. Tertull. de Corona c. 3. aliisque . Dulce etiam vinum alicubi præbebatur . Quo sane ritu divinam misericordiam , gratiam regenerationis , legisque Evangelicæ suavitatem designatam fuisse perspicuum est .

Imponebatur etiam baptizatorum capiti serum , ut appareret ex Nazianzeno Orat. 40. in Sanctum Lavacrum , & ex Ordine Baptismi Ethiopum , qui Severo Alexandrino tribuiter ; id.

138 *De Theologicis Institutis*

idque erat symbolum lætitiae, & regalis ac sacrae initiationis, necnon Evangelicæ libertatis. At de his, alisque Baptismi ritibus obsoletis plura reperies apud P. Berti in lib. 31. c. ult. aliosque Auctores ab ipso citatos: ac interim pro præsenzi capite recolenda monemus, quæ in lib. 24. c. 19. diximus, ostendentes, Ecclesiæ jure prudenterque sacros præcepisse ritus, eosque sedulo ab omnibus esse servandos. Legite insuper S. Thomam in p. 3. q. 66. a. 10. & q. 71. a. 1. z. 3. & 4. & S. Bonaventuram in 4. d. 6. p. 2. a. 3. q. 1. & 2.



DE

DE

THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXVI.

**Ubi de Confirmationis Sacramento
differitur.**



Nter novæ legis Sacraenta secundum locum obtinet Confirmation, quæ sic dicitur ab effectu; quia videlicet gratiam in Baptismo perceptam auger, confirmatque, ac ipsum baptizatum adversus fidei hostes suæ virrute corroborat.

Hujusce vero nominis antiquitas apparebat ex 1. canone Concilii I. Arausican, ex ean. 2. Concilii III. Arelatensis, &c. Appellatum est etiam idem Sacramentum *Perfectio*, sive *Consummatio* ab Illiberitano Concilio can. 38. & a Cypriano in epist. 73. ad Jubajanum, &c. ob prædicam scilicet rationem, quod baptizatum perficiat, eumque pleniori gratia roboret, & confirmet. Præterea propterunctionem dicitur *Sacramentum Chri/matis* ab Augustino in lib. 2. contra lit. Petil. c. 104. & *Oleum sanctificatum* in lib. 5. de Bapt. c. 2. ac item a Gerasimis *Chri/mata spirituale*, *sancutum*, *supercoeleste*. Ab inungendi aurem ritu sive porus a chro-

132

140 *De Theologicis Institutis*
ractere, Confirmatio dicitur *Sigillum ac Signaculum*, apud Eusebium lib. 3. H. E. c. 17. Cyprianum in laudata ad Jubajanum epistola, Ambrosum de Mysteriis c. 7. &c. Vocatur denique a Veteribus *manus*, seu *manuum Impositionis*, ob ceremoniam, quae in ejus celebratione adhibetur; quamvis nomen istud, & ceremonia non huic tantum Sacramento convenient.

C A P U T I.

Num Confirmatio sit verum, propriumque novae legis Sacramentum?

Propositio affirmativa: est de fide contra Lutherum, Calvinum, eorumque gregales. Probatur 1. ex Scripturis. Actorum c. 8. v. 14. & seq. legitur: Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia receperisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis; ne acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizari tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponerabant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Et ibidem c. 19. v. 5. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum impoñuissest illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebansur linguis, & prophetabant. Quibus in locis describitur Confirmatio utri sensibile signum, per manum scilicet impositionem; deferribiturque vis gratiae ef- fe-

fectiva, cum Baptizati per signum illud Spiritum S. acciperent. Habet itaque Confirmatio quidquid exigitur ad verum propriumque nova legis Sacramentum.

Probatur 2. ex Veterum traditione. Tertullianus in lib. de Bapt. c. 7. scribit: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotio solebant: & cap. proximo: De hinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum: tribuitque unctio- ni etiam spiritalem effectum, inquiens: Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quonodo & ipsius baptismi carnis actus quod in aqua mergimus, spiritualis effec- tus quod a delictis liberamus.*

Cyprianus in epist. 73. ad Jubajam postquam citatum Petri & Joannis factum citat, adjungit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praespositis Ecclesie offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummatur.* Scribit etiam S. Doctor cum aliis Episcopis in epist. 70. ad Numidas: *Ungi quoque necesse est eum, qui ba- ptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, un- ctione, esse unctus Dei, & habere in se gra- tiam Christi possit.*

Ambrosius in lib. 3. de Sacram. c. 2. Sequitur spiritale signaculum, quod auditis bodice legi; quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quan- do ad invocationem Sacerdotis, Episcopi scilicet, Spiritus Sanctus infunditur.

Denique S. Augustinus in lib. 2. contra lit. Petilianum c. 104. ait: *In boc unguento (de quo*

Lu-

142 De Theologicis Institutis

Lucæ c. 24. v. 47.) *Sacramentum chrismatis vulpis interpretari : quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est , sicut ipse baptismus , sed potest esse & in hominibus peccatis , idest , quantum ad characterem .*

Laudatis Patribus adjungendi sunt alii omnes , ac præcipue Irenæus lib. 1. contra hæreses c. 21. alias 18. & lib. 4. c. 38. Clemens Alex. apud Eusebium lib. 3. H. E. c. 23. Cyriillus Je-ros. catech. 3. mystag. ubi prolixe perspicue-que de hoc Sacramento pertractat , Hierony-mus in dialogo adversus Luciferianos , & Chrysostomus hom. 8. in Act. Apost.

Summorum quoque Pontificum testimoniiis idem dogma fulcitur , ut patet ex epist. Cor-nelii ad Fabium Antiochenum quæ extat apud Eusebium lib. 6. H. E. c. 43. ex epist. Innocentii I. ad Decentium c. 3. ex epist. 88. S. Leonis ad Germaniæ & Galliæ Episcopos , ex epist. 9. lib. 4. S. Gregorii , & ex epist. 45. lib. 10. &c.

His demum accedit perpetuus ac constans Ecclesiæ Latinae , & Græcae consensus , quo se-pitem admissa sunt Sacra menta , quemadmodum in lib. 24. c. 7. dictum est ; neque demonstrare possunt hæretici , quis primum Confirmationem inter Sacra menta retulerit . Ut autem Tertul-lianus ajebat de Præscript. c. 21. *Constat omnem doctrinam , quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matribus , & originalibus fidei conspiret , veri-tati deputandam , sine dubio tenentem quod Ec-clesie ab Apostolis , Apostoli a Christo , Chri-stus a Deo accepit : omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam , quæ sapiat contra ve-ritatem Ecclesiarum , & Apostolorum , & Chri-sti , & Dei .*

Ex

Ex quibus profecto omnibus evidenter apparet, quam merito Synodus Tridentina sess. 7^a de Confirmatione hunc canonem primum ediderit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum etiōam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium sacramentum, aut olim nibil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi, fidei sua rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Et canonem 2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* Quae etiam doctrina colligitur ex Illiberitana Synodo can. 38. Laodicena can. 48. ac postremo, ut alias omittamus, Florentina in Decreto pro Armenis.

At contra superius dicta opponunt 1. hæretici, in Actibus Apostoli non de sanctificante gratia, sed de linguarum dono, spirituque propheticō sermonem institui. Illum enim spiritum conferebant Apostoli, de quo Joelis 2. v. 28. legitur: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiae vestre, &c.* Vide Act. 2. v. 17. & Marci ult. v. 17. Hunc autem spiritum esse spiritum propheticum satis constat.

Illum præterea spiritum Apostoli conferebant, quem Simon oblata pecunia flagitabat, inquiens: *Date & mibi hanc potestatem, ut cuiuscumque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum,* Act. 8. v. 19. At Simon cum dumtaxat spiritum cupiebat, quo haberet, ut ait Augustinus enarrat. 3. in Psal. 30. *non gratiam, sed potentiam, non unde liberaretur, sed unde extolleretur;* donum videlicet miracula perpetrandi.

144 De Theologicis Institutis.

Tum, in ea manuum impositione deest promissio gratiae, Christique mandatum; quod ad Sacramentum propriæ dictum exigitur. Nullib[us] enim invenitur Christum præcepisse Apostolis, ut hac ceremonia utearentur, ac multo minus ad illam promisisse collaturum se beneficia gratiarum.

Postremo, nullum in adductis Scripturæ textibus oleum sentitur, nullum balsamum odoratur: defunt & verba, quæ nisi ad elementum accedant, Sacramentum rebus, verbisque constantes haberi non potest.

Resp. ad i. quod qui Spiritu Sancto repleti erant, non solum linguis loquebantur, ac prophetabant; verum etiam timore omni deposito annuntiabant Christi nomen, libenti animo contumelias tolerabant, Evangelium apud incredulos contestabantur, Spirituque interius moveante Dei magnalia proferebant. Duæ ergo diversæ res sunt, accipere Spiritum Sanctum, & linguis loqui; sive gratia correborari, & patrare miracula: prior est effectus præcipuus, permanens, ac perpetuus; id est, Sacramento semper adnexus, si cum debita præparatione percipiatur: alter vero transiens fuit, & ad tempus pro dilatanda nascentis Ecclesiæ fide concessus. Unde Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 16, ait: *Neque enim temporalibus & sensibiliibus miraculis instantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rufis fidei, & Ecclesie primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut si quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipient linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter in-*

selligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari. Idem quoque legitur apud Chrysostomum in lib. 1. de Compunct. cordis c. 8. Atque ita ad 2. similiter respondetur.

Ad 3. Temere prorsus afferit præter mandatum, & institutionem Domini Apostolos ea ceremonia usos fuisse, & excogitasse quod tam eximia virtus, qualis est Spiritus Sancti largitio, inesset ceremonia a se usurpatæ pro liberto, & absque Magistri præscripto. Præterea oppositum ex traditione colligitur.

Ad ultimum. Hoc in capite tantum inquirimus, num in Confirmatione deprehendatur signum sensibile gratiæ, seu ratio veri Sacramenti, idque ex Apostolicis Actibus eruatur. Quod vero Dallæus objectat, ad sequentes pertinet quæstiones, ubi de Confirmationis materia, ac forma tractabitur. Denique circa Sacramenti hujus institutionem legenda monemus, quæ diximus in lib. 24. c. 8.



C A P U T II.

*Ubi de essentiali bujus Sacramenti
materia disputatur.*

Lutherus, Melanchthon, Calvinus, Beza, Dallæus, aliquie perditissimi Novatores, impositionem manus, posteaquam visibilis illapsus Spiritus Sancti cessavit, tanquam iniuriam ceremoniam reprobaverunt; & Chrismatis unctionem dixerunt oleum diaboli mendacio pollutum, pinguedinem scandore anhelitus inquitam, ungendisque calceis sine sacrilegii criminе destinandam.

Horum impudentiam eti Scholæ Theologi summa concordia detestentur, in assignanda tamen essentiali materia Confirmationis, salva fidei unitate, dissentient. Petrus Aureolus, Isaicius Habert, Jacobus Sirmondus, aliquie in sola manuum impositione materiam hujus Sacramenti constituant; sicut autem unctionem esse antiquissimam, neque ullatenus omittendam. E contra S. Thomas, S. Bonaventura, Ven. Scotus, & non exiguus Scholasticorum numerus, materiam ipsam in Chrismate posunt; horumque plures existimant Chrisma loco impositionis manuum fuisse receptum, ut innuere videntur Ecumenius, & Synodus Mognutina.

Quidam insuper, ut Ruardus Tapperus, & Joannes Morinus, utramque materiam disjuncti-

Quae censent essentialē, adeo ut unam, vel alteram adhibere sufficiat. Per multi denique, quos inter Juenin, Tournely, Gotti, & Bereti, adæquatam Confirmationis materiam simul in Chrismate, ac in manus impositione reponunt.

Propositio. Essentialis materia Confirmationis tum in manuum impositione, tum in Chrismate adæquate consistit.

Probatur. Essentialis materia Sacramenti Confirmationis est sensibile signum illud, per quod baptizatis tribuitur gratia Spiritus Sancti, ut firmiter credant, fidemque intrepide fateantur: atqui hujusmodi gratia tum per manuum impositionem, tum per Chrisma tribuitur: ergo adæquate Confirmationis materia in utroque consistit.

Probatur minor quoad 1. partem ex testimoniis superiori in cap. adductis, quibus plura addere facillimum est, illudque præsertim Hieronymi adversus Luciferianos: *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipit Spiritum Sanctum.* Augustinus etiam in lib. 15. de Trin. c. 26. postquam affirmat Apostolos orando, & manus imponendo dedit esse Spiritum Sanctum, adjungit: *Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Item Chrysostomus hom. 18. in Act. Apostol. ex quo Philippus per impositionem manus non dederit a se regeneratis Spiritum Sanctum, infert hanc fuisse peculiarem Apostolorum facultatem, & idcirco idem nunc præstari ab Ecclesiæ Præfibus, non a ceteris baptizantium; *Igitur (ait S. Doctor) hoc erat in Apostolis singulare: unde præcipmos, & non alios videmus hoc facere.*

148 . *De Theologicis Institutis*

Theodoreetus insuper in epist. ad Hebr. c. 6. dñis, qui crediderunt, ait: *Accedunt ad divinum baptismum, & per manum sacram accipiunt gratiam Spiritus.* Idem denique plures alii Patres expresse, plane, perspicueq[ue] testantur; quod nempe ut olim Apostoli, ita nunc Episcopi omnes, dum baptizatis manus imponunt, eisdem Spiritus Sancti gratiam largiantur: Ergo manus impositio Sacramenti Confirmationis essentialis materia est. Lege P. Berti in lib. 32. c. 5, propos. 1.

Probatur minor quod 2. partem textibus in cap. præced. relatis, quorum nonnulli manuam impositionem, nonnulli etiam christmati tribuant gratiæ roborantis effectum: quæ vero nunc addimus, assertionem nostram clarius comprobant, demonstrantque. Augustinus tract. 3. in epist. Joan. n. 5. ait: *Unctio spiritualis ipse Spiritus Sanctus est, cuius Sacramentum est in unctione visibili.* Cyrillus Alex. comment. in Iohannem hæc inter alia scribit: *Accessit item usus olei, qui per sacrum baptismum in Christo iustificatis ad consummationem conferret.* Gregorius M. in Sacramentario ait neophyto[n]s confirmari, dum Pontifex ricto pollice in christmate facit crucem in fronte.

His adde, quod Concilium Florentinum in Decreto unionis inquit: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod hitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama, per Episcopum benedicto.* Hisce similia leges apud S. Bonaventuram in 4. d. 7. a. 1. q. 2. concinitque S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 2.

Tridentinum quoque Concilium in sess. 7. can-

can. 2. ita decrevit: *Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* Ex quo nonnulli recte videntur inferre, sententiam, quæ statuit, Christum esse essentialis Confirmationis materiam, talis esse generis, ut si non spectet ad fidem, sperni tamen & repudiari absque inconsideratae temeritatis nota non possit. Essentialis ergo materia Confirmationis adæquate sumpta tum ex manuum impositione, tum ex chrismate constat.

Objicies 1. contra 1. partem. Graci non manuum impositione, sed solo chrismate ad conferendam Confirmationem utuntur; & tamen validam illam ratamque habet Ecclesia. Ergo manus impositionis non est essentialis hujus Sacramenti materia. Antecedens constat ex Græcorum Euchologiis, quæ nullam impositionis manuum faciunt mentionem; constat etiam ex Græcis Patribus, qui Sacramentum istud nunquam impositionem manuum appellarunt.

Deinde neque modo apud Latinos per manuum impositionem neophyti confirmantur, sed per chrismatis unctionem. Eugenius enim IV. in Decreto pro Armenis postquam afferat verba ex Actibus Apost. c. 8. inquit: *Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmationis.* Et Innocentius III. cap. Cum venisset, ait: *Per frontis chrismationem manus impositionis designatur, quæ alio modo dicitur Confirmationis.*

Ad 1. reddi responso illa potest, quam in lib. 24. c. 2. tradidimus, Christum nempe non in specie, sed in genere solam, hujuscce Sacramenti determinasse materiam, & Ecclesiaz ar-

150 *De Theologicis Institutis*

bario reliquise, ut vel manuum impositionem, vel unctionem chrismatis usurparet. Quare licet Ecclesia Graeca non manus impositionem, sed unctionem dumtaxat adhibeat, potest apud illam Confirmationis Sacramentum ratum validumque subsistere.

At 2, reponimus, aliquos Graecorum Patres expresse meminisse impositionis manum, qua Spiritus S. ad robur accipitur; idque pater ex Chrysostomo & Theodoreto superius laudatis, & ex Firmiliano Cæsaracensi Episcopo epist. 75. inter Cyprianicos, & ex aliis Graecis etiam post exortum schisma Scriptoribus, quorum testimonia Tournely, Berti, aliquique recensent. Quemadmodum ergo citati nunc Graeci non excludunt unctionem; ita qui unctionem commemorant, manuum impositionem nequaquam excludunt.

Ad Graecorum deinde Euchologia dicimus unctionem ipsam absque manus impositione non fieri, & istam in illa comprehendit; proindeque qui unius meminit, alterum quoque monstrat. Nam Auctor Constit. Apost. lib. 3. c. 15. de baptizato loquens scribit: *In manus impositione caput ipius unget Episcopus*. Idemque colligitur ex Simeone Thessalonicensi in lib. de Templo, & ex Jacobo Goario in notis ad Euchologium Graecorum pag. 367. Scribit etiam ex Latinis Beda in Psal. 26. *Illa unctionis, quae per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur*. Si ergo nunc Episcopi neophytcum consagantes, eum manu tangunt, & ungunt; in ipsa frontis christinatione simul impositione manuum continetur.

Idem denique sensus est verborum, quae ex In-

Innocentio, & Eugenio objiciuntur ; quasi dicent : *Sacramentum*, quod *Apostolorum tempore manuum impositio* vocabatur, deinde dictum est *Confirmatio* ; habita scilicet ratione ad gratiam, quam producit. Et sane Pontifices illi non afferunt chrismatonem , sive unctionem , nunc inductam fuisse pro impositione manuum , hac sublata . Sed Eugenius tantum affirmit , *loco impositionis manus dari Confirmationem*. Confirmationem , inquit ille , non chrismatonem . Sicut ergo ex his verbis nequit inferri , impositionem manuum non fuisse olim veram Confirmationem ; ita non infertur , manuum impositionem nunc in chrismatone haudquam includi .

Ex hoc usque dictis eruitur etiam , quod dum antiqui Scholæ Doctores pro materia Confirmationis chrismatonem assignant , simul innuant manus impositionem , ac dum unum exprimunt , alterum presupponunt ; ut Gotti , Berti , aliquique probarunt , quibus ex Subr. Doctoris mente adhaesit etiam P. Mastrius in 4. disp. 2. q. 8. a. 1.

Objicies 2. contra 2. partem . Scriptura Act. 8. & 19. commemorans collatam ab Apostolis Confirmationem , altum facit de unctione silentium . Sola ergo manuum impositio est hujus Sacramenti materia .

Resp. nullius esse ponderis argumentum istud negativum ex Scripturæ silentio , cum positiva nobis ratio suppetat ex traditione , & Ecclesiæ praxi , quæ cum constans ac perpetua fuerit , manifestat se ab ipsis Apostolis ad nos usque manasse . Ut enim recte ait Augustinus in lib. 4. de Bapt. contra Donatistas c. 24. *Quod univer-*

152 De Theologicis Institutis

versa tenet Ecclesia , nec Conciliis institutum ,
sed semper retentum est , nonnisi Apostolica au-
toritate traditum rectissime creditur . Unde et-
iam Ven. Scotus in Report . lib. 4. d. 7. q. 1.
Schol. 1. inquit : Supponendum est , quod Christus
hanc formam , & materiam , quibus modo
utimur , etiam per se instituerit , & per mini-
strum aliquem authenticum , etiamsi ipsius insti-
tutio non exprimatur , promulgaverit ; quia , sicut
dicit Damascenus lib. 4. cap. 4. multa tradita
sunt ab Apostolis , quae non sunt scripta .

Ceterum ex argumento deduci dumtaxat potest ,
Christum quorundam Sacramentorum materiam
non determinasse nisi dumtaxat in genere ; quam
nos opinionem probabilem esse censemus . Le-
ge quæ diximus in lib. 24. c. 2. Lege item Ber-
ti , Tournely , Gotti , &c. apud quos etiam alia
quædam objecta diluta reperies .

Remanent autem hic nonnulla dubia expo-
nenda , quæ ad Confirmationis materiam per-
tinent , illudque est I. num ad chrismatis com-
positionem sufficiat quocunque oleum , puta
ex juglandibus , amygdalis , uincibus , seminibus ;
an vero olivarum oleum necessario requiratur ?

Resp. ex unanimi Theologorum consensu
requiri oleum olivarum . Hinc Doctor Angel.
in p. 3. q. 72. a. 2. ad 3. ait : Proprietates olei ,
quibus significatur Spiritus Sanctus , magis in-
veniuntur in oleo olivarum , quam in quocunque
alio oleo ; unde & ipsa oliva semper frondibus
virens , viorem & misericordiam Spiritus Sancti
significat . Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum ,
& maxime haberur in usu ; ubi haberri potest :
quilibet autem aliis liquor ex similitudine hujus
oleum nominatur , nec est in usu communi , nisi
in

in supplementum apud eos , quibus deest oleum olivarum : & ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus , & quorundam aliorum Sacramentorum . Et sane Ecclesia tum Latina , tum Graeca in confiando christitate semper oleum olivarum adhibuit , uti constat ex ritualibus utriusque Ecclesiae libris .

Dubium II: num balsamum oleo permiscendum sit necessitate Sacramenti , an vero sola necessitate praecepti ?

Resp. diversam bac in re esse Doctorum opinionem , pluresque pro utraque parte rationes ab illis afferri , quas recensere non vacat . Probabiliter autem arbitramur , quod admixtio illa necessitate Sacramenti minime requiratur , I. quia nonnulli Patres de Confirmatione agentes , olei meminere , non balsami , ipsamque Sacramentum olei nuncuparunt . Hos inter Augustinus in lib. 16. de Trin. c. 26. & in lib. 17. de C. D. c. 10. christma comparat cum eo , quo Reges ungebantur in veteri Testamento : certum est autem , quod illi solo oleo ungebantur .

II. Innocentius III. cap. *Pastoralis* , Extra de Sacram. non iterandis , ait: *Nos consulere volesti , si Confirmationis Sacramentum in eo debet iterari , qui per errorem fuit non chrismate , sed oleo definitus . Ad quod breviter duximus respondendum , quod in talibus non est aliquid iterandum ; sed caute supplendum , quod incaute fuerat prætermisum . At si nullum fuisset sine balsamo Sacramentum , non tantum supplendum quod in eo defuerat , verum & iterandum fuisset omnino , cum essentiali materia caruisset .*

III. denique , haec balsami admixtio non magis

154 De Theologicis Institutis

gis pertinere videatur ad Sacramenti substantiam, quam admixtio trinita trium fragrantium rerum, quas praeter oleum & vinum Græci ad chrisma conficiendum usurpant, utri ex eorum Euchologio constat. Dicendum est itaque, quod ex antiqua tantum Ecclesie institutione ac præcepto facienda sit illa permixtio.

Dubium 1st. an chrisma necessario debeat ab Episcopo consecrari?

Resp. 1. certum apud omnes esse consecrationem chrismati, iure saltem ordinario, ad solos Episcopos pertinere. Id constat ex epist. Innocentii I. ad Decentium, & ex epist. S. Leonis ad Episcopos Germanie, & Gallie. Sacramentarium etiam Gregorii, Ordo Romanus, Pontificale, & Euchologia Græcorum eadem consecrationem committunt Episcopis. Neque aliter fecerunt Conciliorum canones, ut canon tertius Concilii II. Carthag. anno 390. trigeminus sextus Concilii III. anno 397. vigesimus Toletani 1. anno 400. aliique quos referunt Berti, Gotti, Witelles, Estius, &c.

2. dicimus quod quamvis certum omnino non sit, an hujusmodi consecratio simplici Presbytero possit ab Apostolica Sede committi; probabilior tamen nobis videtur affirmativa complurium Theologorum assertio. Nam Concria, Romanique Pontifices dum chrismatis consecrationem Presbyteris vetant, nullam divini præcepei faciunt mentionem; non ergo divino, sed Ecclesiastico tantum iure Presbyteris ea consecratio prohibetur; potest igitur eadem consecratio simplici Presbytero ex Apostolice Sedis dispensatione committi.

Et prosector Romani Pontifices non tantum di-

dispensarunt cum Missionariis ad Indos profectis, ut *confatio ab Episcopis chrismate confirmarent*, verum etiam aliquando ut ipsum chrisma conficerent; prout constat ex Bulla Eugenii IV. edita anno 1444 pro Fabiano de Bachia Ordinis Minorum, quam Lucas Wadungus juxta autographum Vaticanum inseruit tomo V. Annalium ad praedictum annum Mcccc. n. 45.

Postremo, Canones, qui in oppositum adduci solent, tam vetant Presbyterum confidere chrisma, quam confirmare; & tamen hoc facere potest cum Ecclesiae dispensatione, ut infra dicemus: ideoque iidem Canones accipiendi sunt aut de ordinaria Episcoporum difficultate, aut dispensatione semota.

3. demum affirimus probabilem esse recentiorum Theologorum opinionem, quod chrismatis consecratio necessaria non sit necessitate Sacramenti, sed dumtaxat necessitate præcepti. Non enim ex ullo Ecclesiæ decreto inferri potest, chrisma, nisi prius fuerit consecratum, non sufficere ad hoc, ut valide confirmatio consecratur. Neque enim ex hujus consecrationis antiquitate divinum præceptum colligi jure potest. Nam S. Basilijus in lib. de Spir. S. c. 27. eodem modo loquitur de consecratione aquæ, & chrismatis, inquiens: *Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis;* & tamen nemo concludet, irritum esse baptismatum aqua non benedicta collatum. Ita aquam in Sacrificio cum viro miscere semper, & ubique servatum est; quin tamen inferendum sit, nullam esse vini consecrationem, nisi permixta fuerit aqua. Dicimusque potest, quod consecra-

156 *De Theologicis Institutionis*

eratio réquista ad Sacramenti necessitatem illa sit , qua in ipso unctionis actu Chrisma per verborum formam sanctificatur , ut valeat gratiam conferre , & characterem imprimere .

C A P U T III.

De forma Confirmationis.

ET si ex Catholicis nemo ambigat ; formam Sacramenti Confirmationis ritam esse in verbis , quæ profert Episcopus , dum illud administrat ; accedit enim , inquit Augustinus tract. 8o. in Joani. n. 3. verbum ad elementum , & fit Sacramentum ; in assignandis tamen verbis illis magna inter ipsos dissensio est . Nam qui Confirmationis materiam in sola manusim impositione constituunt , cohærenter affirman , et sentialem formam esse Orationem Episcopi , quæ unctionem præcedit , & in Pontificali Romano sic incipit : Omnipotens sempiterne Deus , &c. Apud Græcos autem , ut ex eorum Euchologio apud Gbarium patet : Benedictus es Domine , &c. Idemque Theologi censem , accidentariam dumtaxat & integrantem formam esse verba illa , quæ unctionem chrismatis comitantur , & quæ apud Latinos sunt : Signo te signo Crucis , & confirmo te christum salutis ; in nomine Patris , & Fili , & Spiritus Sancti ; apud Græcos autem , Signaculum donis Spiritus Sancti . Ita Simeonius , Sambovius , Mo-

Morinus, & alii opinantur.

At qui pro essentiali materia Confirmationis solam statuunt unctionem, in qua manus impositionem includi propugnant, ii essentialem formam reponunt in illis dumtaxat verbis, quæ in unctione dicuntur: *Signo te, O. vel, Signaculum doni, O.* Ita cum aliis P. Berti.

Qui demum existimant, tum manuum impositionem quæ unctioni praedit, tum unctionem ipsam esse essentialem hujus Sacramenti materiam, arbitrantur pariter, essentialem formam in duobus sitam esse; nimirum in Oratione Episcopi, quæ manuum impositioni respondet, & in verbis quæ in unctione ab eodem Episcopo proferuntur. Ita sentiunt Juenin, Tourney, Gotti, aliquae complures.

Nonnulli præterea putantes oportere in forma exprimi actum, quo quis ab alio confirmatur, valorēm formæ Græcorum, vel in dubium revocarunt, vel minime probaverunt; quos inter est Lopus in canonem vii. Concilii I. CP, & Ysambertus in p. 3. q. 72. d. 4. a. 3. His autem positis, sit

Propositio 1. Oratio præcedens unctionem neque totalis, neque partialis est forma Sacramenti Confirmationis.

Probatur. Idcirco Theologi quidam ita senserunt, quod visum est eis impositionem manuum, quam & nos supra diximus partialel hujus Sacramenti materiam, esse illam manuum elevationem & extensionem versus Confirmandos, cum qua Episcopus Orationem recitat, *Omnipotens sempiterne Deus, O.* Forma enim debet materiam comitari. Atqui illa manuum elevatio & extensio non est impositio manuum, quæ

158 De Theologicis Institutis

quæ est Confirmationis materia. Ergo neque prædicta Oratio est forma manuum impositio- ni respondens. Probatur minor, i. quia impos- fitio manuum quæ est partialis materia Con- firmationis, in ipsa unctione peragitur; quan- do Episcopus Confirmandorum frontem pollice tangit, superiori dexteræ manus parte supra illorum caput extensa, ut in præcedente cap. ad i. argum. dictum est. Deinde, quia illa ma- nuum extensione Episcopus Confirmandos non tangit, sed solum ostendit se orantem invoca- re super illos *septiformem Spiritum Sanctum*. Insuper, quia Oratione illa completa, Pontifi- cale Romanum præscribit, ut Episcopus sedeat super faldistorium, dispositis per ordinem Con- firmandis, singillatim de nomine cuiuslibet in- quirat, illosque confirmet per ordinem genu- flexos; ideoque declarat nondum præcedentis Oratione confirmatos fuisse. Ergo Oratio unctio- nem præcedens, tantum præparatoria & depre- catoria est, non essentialis forma Confirmationis.

II. Si attente veteros omnes Confirmationis Ordines expendamus, in Oratione, quæ unctioni præmittitur, nulla alia sunt verba, in qui- bus possit Sacramenti hujus forma constitui, nisi verba illa deprecatoria, *Consigna eos signo crucis Christi, in vitam propitiatus æternam*. Atqui hujusmodi verba referenda sunt ad un- unctionem chrismatis, nec aliud enunciant modo deprecativo, nisi quod indicativo proximis ver- bis exprimitur, *Signo te signo Crucis, &c.* Præcedentia itaque verba aut forma essentialis non sunt, aut si rationem formæ habent, spe- ciant ad chrismatis unctionem, & referuntur ad ea, *Signo te, &c.* Minor probatur; nam Epi-

Episcopus statim ac dixit, *Consigna eos*, &c. intincto pollice perungit christmate frontem Confirmandorum, dicens, *Signo te*, &c. Ubi nemo non videt coherentiam, relationemque verborum, haud fecus; ac in reliquorum Sacramentorum collatione. Ita sane consecrantes Eucharistiam, prius orantes dicimus, *Ut nobis frat Corpus*, &c. postea accepto pane: *Hoc est*, &c. & in absolutione sacramentali primum, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat*, &c. deinde, *Ego te absolvo*, &c.

III. Præfata Oratio aliquando recitata est immediate post baptismum a Presbytero baptizante, priusquam Episcopus ad illum confirmandum accederet; & ideo non extat in Ordine Monasterii Moysacensis annorum 800. apud Martenium lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus c. 2. art. 4. ordine 7. apud quem etiam in Codicibus optimæ notæ reperitur cum Ordine Baptismi, ibique post aliquot folia describitur Ordo Confirmationis. Quomodo ergo constituit hujus Sacramenti formam oratio aliquando a Presbytero non confirmante recitata, ut Baptizatus tali prece munitus ad Episcopum accederet consignandus?

Propositio 2. Verba quæ comitantur chrismatis unctionem, idest, *Signo te signo crucis*, &c. sunt apud Latinos adæquata forma Confirmationis.

Probatur ex dictis: nam Oratione seclusa, nulla alia sunt verba, in quibus ratio formæ possit admitti. Ad hæc insuper accedit Decretum Eugenii IV. pro Armenis, in quo legitur *Forma est, Signo te signo crucis, & confirmo te christmate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hæc autem forma non est in-

260 De Theologicis Institutis

integralis & accessoria, siquidem per hæc verba determinatur materia ad significandum, & producendum sacramentalem effectum. Quare Doctor Angel. in p. 3. q. 72. a. 4. ait.: *In hoc Sacramento datur Spiritus S. ad robur spiritualis pugnae.* Et ideo in hoc Sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur, In nomine Patris, &c. Secundum est ipsum robur spiritualis, quod homini confertur per Sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur, Confirmo te christmate salutis. Tertium est signum, quod pugnatori datur: sicut & in pugna corporali milites insigniis Ducas insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur, Consignao te ligno Crucis, in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur Coloss. 2. S. Thomas consentiunt Alex. Alensis, S. Bonaventura, Ven. Scotus, plurimique Scholastici.

Tandem in omnibus Ritualibus, & Sacramentariis libris a Martene summo studio collectis prescribitur unctione peragenda sub certa verborum formula, ut ipse testatur art. 3. n. 7. quod, ut supra notavimus, non servatur in Oratione unctioni præmissa; atque id indicio est, nunquam unctionem chrismatis peractam sine verbis, ipsaque yerba semper habuisse sacramentalis formulæ rationem.

Propositio 3. Valida est ea Græcorum formula, *Signaculum doni Spiritus Sancti.*

Probatur. Si formula ista non valet, jam nulla in Oriente Confirmatio supereft; cum non aliam in Euchologis suis legant, adhibeant-

beantque Græci, etiam Orthodoxi, etiam Romæ in Templo S. Athanasii, id non ignorante Pontifice. Hinc nunquam Latini, nec in Florentino Concilio, hunc inter ceteros Græcorum recensuerunt errores, quod sub citata formula consignarent.

Deinde in hac formula exprimitur character, quo miles Christi adversus spirituales nequitias insignitur ad pugnam; exprimiturque dominum Spiritus Sancti, quo roboratur in fide. Sufficiens ergo est, & valida, ut materiam determinet ad speciem Sacramenti.

Objicies i. cum Tournely contra i. propos. Ex^r Act. c. 8. colligitur Apostolos confirmasse orando, & manus imponendo. Legitur enim ibi v. 15. Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Et v. 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Oratio ergo forma est Confirmationis, quemadmodum manus impositio est materia.

Idem afferunt SS. Patres. Cyprianus in epist. 73. ad Jubajanum inquit: Qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiae offeruntur, ut per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur. Similia habent Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 2. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 26. aliisque a Tournelio laudati.

Resp- legi quidem in Actibus, Apostolos orasse, ut Samaritani acciperent Spiritum Sanctum; at ibi non legitur orationem illam esse formam Confirmationis: imo Spiritus Sanctus non orationi tribuitur, sed manuum impositioni factæ post orationem, ut constat ex citato v. 17. Tunc imponebant, &c. proindeque

162 *De Theologicis Institutis*

dicendum videtur, hujusmodi manuum impositionem ei correspondere, quæ nunc simul cum chrismati unctione conjungitur, adjectis verbis, *Signo te*, &c. Ceterum sicut ex Actibus non constat chrismati unctionem esse partiam hujus Sacramenti materiam, uti Tournely, aliquis tulerit; ita nihil potest circa formam evinci.

Dum vero laudati Patres Spiritum Sanctum trahunt impositioni manuum & orationi, non de Confirmationis forma loqui videntur, sed de illius rito, in quo præcedit oratio. Ita enim Justinus, Irenæus, aliqui dixerunt, etiam Eucharistiam oratione, ac precibus consecratis, quatenus nempe per orationem non formaliter, sed præparatorie tantum Corpus Christi conficitur.

Denique ipse Tournely hac in quæst. arguento 1. respondens ait, Sacramentorum formas, quantumvis indicative exterius proferantur, sensu tamen ac re ipsa deprecatorias esse; unde a SS. Patribus mysticae preces aliquando dicuntur. Cujus rei hanc exhibit rationem, quia homo Sacramentorum minister dumtaxat est, & os manumque præbet, Deus autem dat virtutem. Ergo similiter forma illa, *Signo te*, &c. quamvis indicativo modo prolatâ, deprecatoria dici potest, & orationis nomen habere.

Objicies 2. contra 2. propos. Si omittantur, aut varientur verba, quæ ad essentialem Sacramenti formam pertinent, nequit perfici Sacramentum. Atqui Confirmatio collata aliquando fuit, in his, aut variatis verbis illis, *Signo te signo Crucis*, &c. Ergo ad essentialem Confirmationis formam eadem verba non pertinent.

Pro-

Probatur minor 1. quia in Sacramentario S. Gregorii, ubi Confirmationis ritus exponitur, præter orationem, de qua supra, nulla alia formula memoratur. 2. quia, uti etiam Alex. Alensis adnotat in 4. p. q. 24. memb. 1. *Hujas Sacramenti secundum consuetudinem diversarum Ecclesiarum diverse sunt forme verborum.* Habet enim quædam Ecclesia banc formam: Confirmo te signo Crucis, & chrismate sanctificationis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Alia est ista: Confirmo,* & consigno te signo crucis, & chrismate sanctificationis, in nomine Patris, &c.

Resp. ex dictis nunquam ea, aut similia verba omissa fuisse in chrismatis unctione. Neque hic oblet Scriptus silentium, cum plura ad nos ex Apostolorum traditione descenderint, ut ait etiam S. Thomas in 3. p. q. 72. a. 4. ad 1. & Ven. Scotus in *preced.* cap. laudatus. Neque officit silentium Antiquorum, cum id disciplinæ arcani tribuerendum esse. Cl. Viri putaverint; qui etiam affirmarunt Latinorum formulam quovis tempore viguisse, neque reperiiri posse ipsius originem.

Ad Gregorii Sacramentarium cum P. Berti, reponimus, aut S. Doctorum sacramentalis formulæ non meminisse, quamcum hæc indicative modo non aliad exprimit, quam id, quod continetur deprecativo in extremis Orationis verbis, *Consigna eos signa crucis Christi, in viam propitiatus eternam;* quæ verba etiam formulam in memoria Episcopi poterant revocare; aut forte tunc temporis unctionem per etiam fuisse in eorundem verborum prolatione, ita, ut forma quæ modo obtinet, ex deprecativa facta sit indicativa; nec tamen utraq[ue]

164 *De Theologicis Institutis*

nunc rationem formæ retineat , quia deprecativa jam est absque applicatione materiæ .

Denique etsi Latinorum formula varias mutationes quandoque subierit ; semper tamen substantialis verborum significatio salva permansit , ejusdemque formæ sensus nullatenus est rotatus . Hujus autem variationis ratio a quibusdam ex eo repetitur , quod neque Christus determinaverit , neque indicaverint Apostoli , quænam præcise verba in conferenda Confirmatione adhibere deberet Ecclesia ; sed ejus reliquit arbitrio , ut his vel illis verbis , idem tamen significantibus , uteretur . Vide quæ diximus in lib. 24. c. 2.

Objicies 3. contra 3. propos. Sensus prædictæ Græcorum formulæ suspensus est & ambiguus , nec finitam perfectamque efficit orationem . Non ergo determinare potest indifferentem materiam ad certum Sacramentum constituendum .

Præterea commune est singulis Sacramentis esse invisibilis gratiæ & Spiritus Sancti sacramentum . In hoc ergo non potest peculiaris formæ ratio collocari .

Resp. ad 1. formulam illam *prædictæ* determinatam significationem habere , veluti si quis porrigens nummum pauperi diceret , *Ecce numnum* . In ipsa quoque formula subintelligitur verbum , sicut & in v. 20. cap. 9. ad Hebr. *Hic sanguis testamenti* .

Ad 2. Græcum σῶμα non signum qualunque significat , sed notam impressam , sigillum , ac specialiter balteum militarem : *et quod* quoque non tantum significat gratiam , sed ipsam donorum largitionem ; observarque Budæus , usur.

usurpari præfertim vocabulum illud ad significandum docum amplum , & regium . Quare licet omnia Sacra menta sint gratia signacula , ac Baptismus interdum ratione characteris ~~sororatis~~ appellatur ; habent tamen hujus formulæ verba vim quandam designandi gratiam , qua exornat Christi milites , firmatque , ac perficit sanctificationem in Baptismo collatam .

C A P U T IV.

De ejusdem Sacramenti Ministro.

Proposito 1. Ordinarius Sacramenti Confirmationis Minister est solus Episcopus . Dogma istud ad fidem pertinet , & est contra Photium , qui censuit , jus ordinarium confirmandi non ad Episcopos tantum , sed ad simplices etiam Presbyteros pertinere . Hunc deinde schismaticorum Græcorum errorem secuti sunt Waldenses , Hussitæ , Lutherus , Calvinus , & ceteri Novatores .

Probatur 1. ex Act. c. 8. ubi narratur , Petrum , & Joannem profectos Samariam , ut per manuum impositionem baptizatos a Philippo Diacono confirmarent . Hoc enim præstituisse Petrum , & Joannem tanquam Presbyteros , non tanquam Apostolos , gratis omnino , & adversus Veterum traditionem adversarii autamarunt . Patres enim ita quod in Actis legitur acceperunt , ut Apostolis tantum , eorumque

L 3.

suc-

366 *De Theologicis Institutis*

successoribus Episcopis tribuerint ordinariam confirmandi potestatem . Cypriani verba ex epist. 73. ad Jubajanum in c. 1. retulimus , & in c. 2. laudavimus Augustinum in lib. 15. de Trin. c. 26. necnon Chrysostomum hom. 18. In Acta . His adde Isidorum Pelusiota lib. 2. epist. 450. ad Antiochum , Bedam , & Ecumenium in Ad. c. 8. aliosque ad unum omnes .

Probatur 2. ex perpetua Ecclesiaz praxi , quæ non aliis ~~unquam~~ Sacramenti huic administrationem concessit , nisi solis Episcopis . Hinc Innocentius I. in epist. ad Decentium c. 3. scribit : *De consignandis autem infantibus manifestum est non ab alio , quam ab Episcopo fieri licere . Nam Presbyteri licet sint Sacerdotes , pontificatus tamen apicem non habent . Hec autem Pontificibus solis deberi , ut vel consignent , vel Paracletum Spiritum tradant , non solum consueto Ecclesiastica demonstrat , verum & illa letatio Actuum Apostolorum que asserit Petrum & Joannem esse directos , qui jam baptizatis tradiderent Spiritum Sanctum : &c.* Item Leo I. in epist. 88. ad Germania , & Gallia Episcopos inter ea , quæ Chorepiscopis prohibentur , enumerat *Chrisma confidere , & Chrismate baptizatorum frontem signare .* Denique S. Gregorius lib. 4. epist. 9. ad Januarium ait : *Presbyteri baptizandos ungant in pectore ; ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte .* Idem quoque docuere Nicolaus I. Innocentius III. Gregorius IX. aliisque a Tournelio laudati .

Accedunt ultimo Conciliorum definitiones , ac præcipue Florentini , quod in Decreto pro Armenis de Confirmatione inquit : *Ordinarius Minister est Episcopus , & cum ceteras unctiones sim-*

simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quod probat ex Ad. 8. Denique Tridentinum sess. 8. can. 3. ita de Confirmatione decernit: Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

Propositio 2. Potest simplex etiam Sacerdos extraordinaria facultate conferre Confirmationis Sacramentum. Hæc assertio quamvis sit in Schola communior post Scotum in 4. d. 7. q. 1. & S. Thomam, & S. Bonaventuram infra citandas; plures tamen habet magni nominis Adversarios, utputa Hugonem Victorinum, Aetiliodorensem, Durandum, & ex recentioribus Etiuum, L'Herminier, Sambovium, &c.

Probatur 1. ex citato superius Eugenii Decreto in Synodo Florentina, ubi postquam definitum est ordinarium Confirmationis ministerum esse Episcopum, hæc subduntur: Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Sacramentum.

Tridentinus quoque Concilium, dum statuit solum Episcopum esse ordinarium Confirmationis ministerum, innuere vult haud repugnare, quin ex delegatione hujusmodi ministerium Presbytero committatur. Et licet id S. Synodus nequaquam expresserit, cum nullum vellet Scholarum placitis afferre prejudicium; ut tamen novimus ex ejusdem Synodi Historia conscripta a Card. Pallavicino lib. 9. c. 7, ad eum modum editus est articulus, quod fere omnes in S. Thomæ sententiam veniebant, quam præstigiissimi Scholastici amplectebantur, posse hu-

168 *De Theologicis Institutis*
*iusmodi facultatem Pontificia delegatione ad sim-
plices Sacerdotes extendi.*

Probatur 2. Constat confirmandi potestatem revera aliquando Presbyteris fuisse collatam. Gregorius enim Magnus in epist. 9. libri 4. ad Januarium scripsérat: *Episcopi baptizatos infan-
tes signare bis in frontibus non præsumant; sed
Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut
Episcopi postmodum ungere debant in fronte.* Quod cum ægre ferrent Sardinenses Presbyte-
ri, indeque exoriri scandalū Januarius Grego-
rio indicasset, rescriptis is epist. 26. ejusdem
libri: *Nos quidem secundum usum veterem Ec-
clesia nostra fecimus; sed si omnino bac de re
aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut
Presbyteri etiam in frontibus baptizandos tan-
gere debant concedimus.* Quibus in verbis Gre-
gorius Sardinensibus Presbyteris ut confirma-
rent indulxit.

Ad infringendam vim hujus argumentationis plura ab Adversariis opponuntur, illudque præ-
fertim, quod emendati codices habeant *bapti-
zandos*, non *baptizatos*; ac proinde Gregorium
de unctione quadam ceremoniali, non de Confirmatione locutum fuisse videtur.

Sed contra. Gregorius in posteriori epistola id concessit, quod in præcedente vetuerat, ut scilicet Presbyteri baptizatum in fronte signa-
rent: id autem veram esse propriamque Confirmationem negari non potest; nam *Confirmare* idem est, ac, *frontem ungere*, sive *signare chrisma*, uti ex Ecclesiasticis scriptis appa-
ret; de quo legenda est laudata Innocentii epi-
stola ad Decentium c: 3. Et sane si quæstio de sola ceremonia fuisse, non illam S. Gregorius
Prel.

Presbyteris permisisset in absentia dumtaxat Episcopi, cum Presbyteris jure ordinario competit omnes Baptismi ceremonias adimplere. Illud autem baptizandos idem denotat ac baptizatos, ut patet ex prioris epistolæ verbis: *Episcopi baptizatos infantes, &c. ac baptizatos legendum esse contendunt Morinus, Tournely, Gotti, aliique.*

Præterea ad demonstrandam thesim accedit, quod Romani Pontifices eandem facultatem Presbyteris aliis aliquando concederint. Hadrianus VI. et si in 4. sent. oppositum docuerat, ad summum tamen Pontificatum electus Fratribus Ordinis Minorum indulxit, ut in Indiis administrarent Confirmationem, extatque autographum hujus facultatis exemplar in Cœnobio S. Francisci Hispanensi. Atque ante Hadriani diploma iisdem nostri Ordinis Fratribus per Orientis, & Septentrionis regiones facultatem illam concederat Joannes XXII. ut refert Wadingus ad annum 1447. n. 16. Alia quoque privilegia idem Scriptor producit, ut Eugenii IV. ad annum 1444. n. 45. necnon Nicolai IV. & Urbani V. quorum omnium amplissimam confirmationem concessam a Leone X. narrat ad annum 1521. Nec Wadingus solus id asserit, sed & Henriquez, Suarez, Pallavicinus, Rodericus, Frazzen, Morinus, Arcadius, Basilius Poncius, aliique quamplurimi eximii, probatique Viri, qui ea diplomata legerunt, & cum iis quibus concessa sunt, habuere sermonem. Idem denique indulatum Partribus olim Societatis Jesu a Gregorio XIII. plures ex recensitis Scriptoribus attestantur.

In Graeca tandem Ecclesia Presbyteri ex de-

legata facultate confirmant. Cum enim in Florentino Concilio proposita ea quæstio esset,
Quare Episcopi non ungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum? Doctorbeus Mitylenensis Metropolita eandem quæstionem, canonice legitimeque dissolvit. Hinc neque ex literis unionis, neque ex aliis Concilii actis eruitur coactos fuisse Græcos ad conuentudinem defrondam, qua solent apud ipsos Presbyteri confirmare. Adde quod Gregorius Hieromonachus, & magnus Protosyncellus scribens adversus epistolam Marci Ephesi de Confirmatione inquit: *In nostra unione nihil babuerunt, quod nobis objicerent; (nihil grave, quod Mitylenensis non dissolvisset) sed cum essemus orthodoxi, habiti sumus ab orthodoxis orthodoxi.* Hac de re videndi sunt etiam Goarius in notis ad Euchologium Græcorum, & Arcadius lib. 2. Concordiaz c. 13.

Objicies i. contra i. propol. Concilium Carthaginense II. anno 390. can. 3. & Carthaginense III. anno 397. can. 36. præcipiunt, ne chrisma conficiatur a Presbyteris. Ergo, inquit Dallæus, ante tempus illud Presbyteri chrisma conficiebant, idenque etiam confirmabant.

Toletanum I. anno 400. can. 20. definivit, *Diaconum non chismare, sed Presbyterum absente Episcopo; presente vero, si ab ipso fuerit præceptum. Absente itaque Episcopo Presbyter olim ordinaria potestate chrismabat; presente vero Episcopo, ejusdem dumtaxat permisso-ne, ac jussu.*

Denique Arælicanum I. anno 441. can. 1. hæc statuit: *Hæresicos in mortis discrimine positos, si catholicis esse desiderant, si desit Episcopus,*

pus, a Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placuit.

Resp. his alisque Conciliorum definitionibus nullum inferri catholicæ veritati præjudicium, si dicatur, illarum vi collatam fuisse Presbyteris confirmandi potestatem, quam ordinario iure nequaquam habebant. Præterea ex Conciliis Carthag. II. & III. deduci id unice potest, quodam Presbyteros aliquando sibi temere confirmationem christmatis arrogasse, quos utrumque Concilium iure repressit.

In Toletano canone agi de chrismatione sacramentali, Presbyteris tamen extraordinaria facultate commissa, sentit Christianus Lupus, eo quod verticalis unctionio etiam a Diacono baptizante confici possit. At Berti existimat pertractari eo in canone de unctione dumtaxat verticali, quam ante epistolam Innocentii I. ad Decentium cum licentia Episcoporum Presbyteri usurpabant. Etenim unctionem illam S. Sylvester concessit Presbyteris absente Episcopo, & propter occasionem transitus mortis, ut legitur in libro Pontif. scribitque lib. 2. de Sacram. p. 7. c. 3. Hugo Victorinus. Innocentius itaque anno 416. indulxit, ut Presbyteri chrismate inungerent in vertice baptizatos, seu extra Episcopum, seu praesente Episcopo; cum Toletana Synodus declarasset, juxta consuetudinem sub Sylvestro inductam, ut chrismarent in vertice absente Episcopo; praesente autem, si ab ipso fuerit præceptum.

Tandem ad Arauficanum canonem respondemus non de Sacramento Confirmationis ibidem agi, sed de reconciliatione hæreticorum, qui pluribus in locis recipiebantur unctione chris-

172 *De Theologicis Institutis*

chrismatis, non tamen sacramentali, nisi forte Confirmationis Sacramentum minime receperissent. Errant enim, qui ubicumque aut christmatis, aut consignationis nomen audiunt, sacramentalem statim unctionem intelligunt, ut inferius ostendetur.

Objicies 2. S. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos affirmat Episcopos ex Ecclesiistarum more, & ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem, ministros esse Confirmationis; quia, ait, si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in lectulis, aut in castellis, aut in remissioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviscentur. Scribit præterea in epist. 85. nunc 101. ad Evangelum: *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter?* + Resp. Hieronymum moris ac consuetudinis nomine non illum intelligere usum, qui hominum inducitur arbitratu, sed qui ex divina institutione, & Apostolica traditione dimanat. Unde ait: *Disce banc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.*

Dum vero Hieronymus addit id factum esse ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem, non respicit ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis, ita ut iste sit sensus: Perficere per Confirmationem baptizatos opus est Episcopali reservatum honori; quoniam Sacramentum istud non est talis necessitatis, sicut Baptismus; siquidem etiam non consignati possunt salutem consequi; & ideo confirmandi minister.

sterium cuivis committi non debuit. Hinc e
vestigio S. Doctor adjungit: *Alioqui si ad Epi-
scopi tantum imprecationem, &c. Refutat enim
ibi Luciferiani errorem ajentis, posse aliquem
baptizari, & tamen non habere Spiritum San-
ctum.*

Demum in epist. ad Evangelum comprimit Hieronymus cujusdam insaniam, qui Diaconos Presbyteris præferebat; & ideo Presbyterorum commendat auctoritatem, eosque demonstrat Episcopis valde proximos, eo quod confiendi Corporis Christi eandem facultatem habeant, hoc tantum excepto, quod hæc ab Episcopis per Ordinationem Presbyteris conseratur. Ceterum omnia Episcoporum munera non recenset, siquidem id agere ad institutum minime pertinebat; ac diserte contra Luciferianos disputans asserit Confirmationem reservatam esse Episcopatus honori.

Hic postremo si quis a nobis cum Photio in Epistola ad omnes Orientales Episcopos, & cum Calvinio in lib. 4. Instit. c. 19. requirat, unde lex illa venerit, qua Presbyteris baptizatos consignare vetatur; reponemus ex dictis, legem illam a Christo ita volente ac instieunte manasse, & per Scripturam ac Traditionem nobis sanotuisse, eandemque convenientissime fuisse latam ostendunt paullum Scholæ Theologi, quos inter eminent S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 11. & S. Bonaventura in 4. d. 7. a. 1. q. 3. Objicies 3. contra 2. propos. Romani Pontifices sàpè declararunt, neque ex delegatione committi posse Presbyteris, ut confirmaret. Nam Nicolaus I. Legatos misit ad Bulgaros, qui confirmatos a Presbyteris Græcis chrisma- te

te iterum inunxerunt: factum vero illud Pontifex approbavit. Atqui si ex delegatione Presbyteris confirmate liceret, neque Legati Pontificis illos iterum inunxisseat, neque Pontifex id probasset.

Item Innocentius III. in epist. ad Lucium apud Constantinopolim Legatum veyit, ne Latini Presbyteri apud eandem Urbem Sacramentum Confirmationis presumant fidelibus exhibere, quod ab Apostolorum tempore rite fuit solis Episcopis reservatum.

Præterea Innocentius IV. in Constitutione, *Sub Catholicæ*, edita anno 1254. cum accepisset inter Archiepiscopum Nicosensem, & ejus Suffraganeos Latinos ex una parte, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibusdam articulis subortam fuisse discordiam, rescriptis Episcopo Tusculano Sedis Apostolicæ Legato, mandans ut quædam servarentur, inter quæ §. 2. id legitur: *Soli Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia bujus unitio non debet nisi per Episcopos exhiberi.*

Denique Clemens VIII. in Instructione de Ritibus Græcorum edita Romæ anno 1595. n. 2. &c. confirmata a Benedicto XIV. anno 1742. jussit, ut Episcopi Latini infantes, seu alios baptizatos a Presbyteris Græcis, *Ex de facto chrismate in fronte consignatos confirment*: quod cum minime mandatum sit ab Græcæ formæ defetum, jussum ob id esse videtur, quod Presbyter, etiam Græcus, avitumque morem se Etatus, tanquam illegitimus Minister, irritum nullumque contulit Sacramentum.

Resp. Cum Presbyter sit Confirmationis Minister extraordinarius dumtaxat, & ex dele-

ga-

gatione, illud semper in Græcis Ecclesia Romana damnavit, quod horum nonnulli putaverint Presbyterum esse ordinarium hujus Sacramenti Ministrum, inductamque apud illos consuetudinem talis esse roboris, ut quanquam Græci Presbyteri Latinis subjiciantur Episcopis, aut Summus Ecclesiae Rector, Romanus Pontifex, jubeat, ut iidem Presbyteri consuetudinem servent Occidentalis Ecclesiae, in qua soli Apostolorum successores Episcopi consignant, & nonnisi perraro, urgentique aliqua causa impellente, id muneris fuit Presbyteris delegatum; adhuc tamen iidem Græci, schismatum amatores, & disciplinæ Ecclesiastice ignari, contendunt posse suæ gentis Presbyterum ubiqui terrarum neophytes consignare. Faciunt ergo ad hunc eliminandum errorem commemoratae Pontificie Constitutiones.

Ad primum ergo reponimus, quod ideo Latini Episcopi confirmarunt Bulgaros, etiametri confirmatos a Græcis, quoniam hi missi fuerant a Photio Pseudo-Patriarcha CP., ideoque non erant legitime delegati; & præterea consignabant in Provinciis Apostolicæ Sedi subiectis, atque renitente Supremo Ecclesiae Rectore. Contendebant insuper Photiani illi Presbyteri non esse ex dispensatione, quod alicubi Presbyteri christmate liniant frontes baptizatum; & idcirco adversus Romanæ Sedis inhibitiones consignare sacrilege, illegitime, pervicaciter audebant.

Innocentius III. Latinis dumtaxat Presbyteris inter Græcos degentibus prohibet, ne sibi concessum patent, quod toleratur in Græcis. Spectat enim Rescriptum ejus ad solos Presby-

176 *De Theologicis Institutis*
byteros Latinos Constantinopoli commorantes,
uti doctissimi Viri notarunt.

Innocentius vero IV. in sola Cypri Insula, non in reliquis Orientalibus Ecclesiis iussit, ut soli consignarent Episcopi; propterea quod sub eortis circa hanc materiam dissidiis, melius iudicavit, ut Occidentalis Ecclesiae, quam Orientalis servarentur ritus, atque dum ordinarii Confirmationis ministri adessent Episcopi, Presbyteri injime consignarent.

Clemens Iustificationem suam direxit ad Græcos, aut Albanenses degentes sub Latinis Episcopis, non ad ceteros universos; immo & prudenter consignantes neophytes obsignatos in fronte a Sacerdotibus Græcis, cum cautele, & sub conditione id faciant, videlicet, *N. si es confirmatus, ego te non confirmo: sed si non es confirmatus, Ego consigno te,* & conditionem hanc præsertim adhibeant, cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati: quoniam nempe solent Græci Episcopi confirmare illico post baptismum. Igitur a Clemente VIII. permittitur, ut, ubi Latini non sedent Episcopi, teneatur mos perpetuus, siquidem decreta sua his limitibus coarctat & circumscribit. Idem denique præstitit Benedictus XIV. loquens in Constitutione, *Etsi Pastorialis*, de Italo-Græcis commorantibus in Italia, ejusque insulis adjacentibus, ac ulterius Clementinæ definitionis sensum. exponit.

Objicies 4. Potestas confirmandi, quæ ordinario jure competit solis Episcopis, non est potestas jurisdictionis; alioquin consignare quoque posset Episcopus electus, & nondum con-

se-

secratus, imo & Diaconus, ac simplex Clericus consentiente Episcopo. Sed neque potestas Ordinis dici potest: nam vel illa Episcopo competit ratione consecrationis Sacerdotalis; atque ita quilibet Sacerdos tali consecratione insignitus, saltem valide, confirmabit, tametsi id vetet Episcopus; sicuti nempe valide conficit Eucharistiam: vel si competit ob Episcopalem consecrationem, jam nulli Presbyterorum potest facultas illa committi, nisi prius sit in Episcopum consecratus.

Resp. Episcopum ex propria consecratione nancisci, ut sit ordinarius hujus Sacramenti Minister; quod sane verissimum est, sive Episcopalis consecratio peculiarem imprimat characterem, sive dumtaxat sit major præsbyteralis characteris extensio. Presbyter vero ex consecratione Sacerdotali, cui nequaquam est illa characteris, ac potestatis amplitudo, habet, ut esse possit extraordinarius Minister Confirmationis, si Romanus Pontifex id ei committat: eo ferme pacto, quo Episcopus ex propria consecratione habet, ut Ordines conferat; & Presbyter ex consecratione sua habet tantum ut ex Romani Pontificis concessione valeat ordinare. Cujus rei ratio ex eo repetitur, quod Romani Pontifices Confirmationem ab Episcopo consecrato collatam semper validam censent; a Presbytero autem non ita, nisi obtinuerit a Sede Apostolica facultatem. Hac ergo praxi docet Ecclesia, Episcopum consecratione sua *actu* constitui hujus Sacramenti Ministrum; Presbyterum vero Sacerdotali consecratione *aptitudinem* quandam acquirere, ut possit a Papa constitui.

178 *De Theologicis Institutis*

Tandem ex supra dictis inferimus, ut valide possit simplex Presbyter christmare, necessariam esse in Occidentali Ecclesia Summi Pontificis delegationem; in Orientali autem per antiquam, & universim receptam consuetudinem, quam idem Rom. Pontifex aut approbat, aut saltem non dissentiendo permittat. Hæc fere omnium recentium, veterumque Theologorum assertio vera esse monstratur ex eo, quod Eugenius IV. ait aut de Sardinensibus, aut de quibusdam aliis Presbyteris, aliquando hoc administrasse Sacramentum per Apostolicæ Sedis dispensationem. Id etiam traditur a Clemente VI. in literis ad Patriarcham Armeniorum apud Raynaldum ad annum 1351. n. 12. ubi inter alia hæc leguntur: *Si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi.* Idem denique constat ex laudata Benedicti XIV. Constitutione.

Huc denique faciunt quæ habet S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 11. ad 1. *Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem.* Et ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur. Hisce similia leges etiam apud S. Bonaventuram in 4. d. 7. dub. 1.

CA-

C A P U T . V.

*De Confirmationis subjecto; & de
multiplici dispositione, quæ in
eo requiritur.*

HAec tenus de Ministro, nunc de subjecto Confirmationis agendum est. Circa quod i. querimus, quinam confirmari possit, sive hujuscemodi Sacramenti subjectum?

Respondemus, omnes homines, dummodo sint initiati baptismate, esse ad recipiendum Confirmationis characterem idoneos. Omnes quippe adversus spiritales nequitias, adversus Christiani nominis hostes, adversus humanæ naturæ imbecillitatem possunt Christi signaculo, & Spiritus Sancti fortitudine corroborari. Hinc Doct. Angel. in p. 3. q. 72. a. 8. adnotat Act. 2. narrari, quod *Spiritus Sanctus replevit totam domum*, per quam significatur Ecclesia; & postea subditur, quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc Sacrementum datur: Ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia, exhibendum.

Neque hujus Sacramenti susceptioni potest infantilis ætas obesse. Nam ut idem S. Doctor ibi ad 2. ait, *ætas corporalis non prejudicat animæ*: unde etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. 4. Senectus venerabilis non est diutur

180 *De Theologicis Institutis*

tūra, neque numero annorum computata. Et inde est, quod multi in puerili aetate propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo. Et sane neminem latet, Latinam Ecclesiam per duodecim secula Confirmationem, simul cum Baptismo ipsis etiam infantibus ministrasse, eundemque morem in Græca adhuc Ecclesia custodiri.

Convenienter autem in Latina Ecclesia mos ille mutatus est, ac in pluribus Synodis constitutum, ut in confirmandis expectetur rationis usus, nisi ob urgentem aliquam causam aliter videatur Episcopo. Ut enim Catechismus Rom. ait in p. 2. c. 3. n. 17. *Omnibus quidem post baptismum confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint.* Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. Neque enim confirmatio ad salutis necessitatem instituta est: sed ut ejus virtute optime instruki, & parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugna genus pueros, qui adhuc usū rationis carent, nemo aptos judicavit. Prioribus autem seculis confirmabantur infantes, & quia solemnī Baptismo aderant ut plurimum Episcopi, & quia persecutionibus, hæresibusque graffantibus facilius poterant Baptizati corporalis, & spiritualis vitæ subire pericula. Hac de re videndi sunt Frassen, Gotti, Berti, aliique.

Solos autem Baptizatos esse confirmandos, inseritur ex Ecclesiæ praxi ab Apostolis derivata

ta, juxta quam Antistites Baptizatis tantum de-
derunt, ac dant modo Spiritum Sanctum per
manum impositionem: deinde probatur ex
quo Concilia, & Patres Confirmationem dixe-
re consummationem, perfectionemque baptizato-
rum; & S. Bonaventura, cui tota Schola con-
sentit, in 4. d. 7. a. 3. q. 3. baptismum appellat
fundamentum, & januam Sacramentorum s-
ac præterea hanc rationem adducit: Confirma-
tio respicit aliquid praexistentis; quia quod non
est, non potest confirmari: sed nullum Sacra-
mentum necessaria præit Confirmationem aliud a
baptismate: Si ergo aliquid presupponit, vide-
sur, quod baptismum. Denique S. Thomas in
p. 3. q. 72. a. 6. ait: Sicut se habet Confirmatio
ad baptismum, ita augmentum ad generatio-
nem... Manifestum est autem, quod nullus po-
test promoveri in etatem perfectam, nisi primo
fuerit natus: & similiter nisi primo fuerit be-
pantzatus, non potest Sacramentum confirmatio-
nis accipere.

Quæritur 2. an confirmandi sint energumenti,
amentes, & infirmi?

Resp. breviter, energumentos esse confirman-
dos, tum ut gratiæ augmentum accipiunt, tum
ut hujus robore vires dæmonum, a quibus ve-
xantur, infringant. Amentes etiam, si lucida
habeant intervalla, in his confirmandi sunt;
quod si perpetuo amentes fuerint, confirmari
debent statim ac commode id fieri contigerit;
sunt enim capaces gratiæ, & majoris gloriæ,
quæ hujus Sacramenti virtute confertur. Si
tamen in amentiam inciderint gravi inquinati
peccato, quoniam tunc percipere nequeunt Con-
firmationis effectum, non sunt facio chrismate

182 *De Theologicis Institutis*

liniendi . Tandem confirmandi quoque sunt regri ad obedientiae meritum , ad virtutis incrementum , & ad praesidium contra maligni hostis incursus . Etiam morituris , ait S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 8. ad 4. hoc Sacramentum dandum est , ut in resurrectione perfecti appareant , secundum illud Ephef. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram etatis plenitudinis Christi . Et ideo Hugo de S. Victore in lib. 2. de Sacr. p. 7. c. 3. dicit : Omnia periculorum esset , si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret . Non quia damnaretur , nisi forte propter contemptum , sed quia detrimentum perfectionis pateretur . Unde etiam pueri confirmati decedentes , majorem gloriam consequuntur , sicut & hic majorem obtinent gratiam . Ex quo patet , non esse inutile , aut inconveniens , si etiam parvuli in mortis discrimine confirmantur , ut docent Estius , Sylvius , Gotti , aliquique permulti . Contraria vero consuetudo spectat potius debitam Sacramenti solemnitatem , & Episcoporum commodum , quam decedentium utilitatem .

Quæres 3. quænam præparatio requiratur ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum ?

Resp. ex Catechismo Rom. in p. 2. c. 3. n. 18. requiri , ut qui adulescens jam etate confirmandi sunt , siquidem bujus Sacramenti gratiam & dona consequi cupiant , eos non solum fidem & pietatem afferre , sed graviora etiam peccata , qua admiserunt , ex animo dolere oporteat . Quia in re etiam elaborandum est , ut peccata etiam prius confiteantur .

Itaque in adultis , qui in statu gratiae non manent , ad dighe recipiendum Confirmationis Sa-

Sacramentum exigitur contritio charitate perfecta, vel attritio cum inchoata Dei dilectione, & cum poenitentiae Sacramento. Confirmatio enim est Sacramentum vivorum, institutum ad augendam gratiam, non ad illam primitus conferendam; ut ergo digne recipiatur, statum gratiae prærequisitum.

Quamvis autem, juxta plurium Theologorum opinionem, in adulto peccatore sufficere possit perfecta contritio, neque adsit sive divinum, sive Ecclesiasticum præceptum, quo quis sacramentalem Confessionem Confirmationi præmittere teneatur; in praxi tamen tutius est, ideoque curandum ab eo, qui mortalis peccati conscientia tangitur, ut per Confessionem se purget, priusquam ad Sacramentum istud accedat; quia contritio vere perfecta in plerisque est difficilis & incerta; neque sincera videtur animi compunctionis, verumque confitendi propositum, si, quando haberi potest Confessarius, Sacramentum poenitentiae contempnatur. Unde complures Canones & Ecclesiasticae Constitutiones hortantur, ut adulti sacramentalem Confessionem Confirmationi præmittant; qua de re etiam in Pontificali Romano legitur: *Adulti debent prius confiteri, & postea confirmari.*

Olim præterea non nisi jejunis datam fuisse Confirmationem apparet ex c. Ut jejuni de Consecr. dist. 5. ubi statuitur: *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfecte etatis; nimirum adulti.* Et ibidem c. *Ut Episcopi, injungitur, ut Episcopus ipse jejunus Sacramentum hocce ministret.* Hac de re scribit Angel. Doctor in p. 3. q. 72. a. 12. ad 2. *Propter multi-*

184 De Theologicis Institutis

zudinem fidelium, & propter pericula imminētia sustinetur, ut hoc Sacramentum, quod non nisi ab Episcopis dari potest, etiam a non jejunis detur, vel accipiatur. Quia unus Episcopus, præcipue in magna Diœcesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est, ut a jejunis detur, & accipiatur.

Idein quoque monitum tradens Catechismus Romanus in num. mox citato inquit: Admonentur laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut nonnisi jejunis hoc Sacramentum susciperent. Quod quidem fidelibus facile persuaderi posse existimandum est, si bujus Sacramenti dona, mirabilesque effectus intellexerint.

Oportet insuper, ut Confirmandi ad recipiendum Spiritum Sanctum per pietatis opera, & orationem ferventius se disponant. Hinc de illis ait Sacramentale S. Caroli pag. 54. In pri⁹ frequentiori, & ardenter religiose orationis studio devote sese exerceant, exemplo sanctorum Apostolorum, qui dum expectarent Spiritum Sanctum, perseverantes erant in oratione, & jejunio.

CA-

C A P U T VI.

Agit de dupli Confirmationis effectu.

Quanquam ex iis quæ in lib. 24. cc. 14. 16. & 18. produximus, satis superque monstretur, duos esse Confirmationis effectus; gratiam scilicet, & characterem; hic tamen paulo fusius de utroque pro rei dignitate tractabimus.

Et primo quidem contra Lutherum aliosque hæreticos, quos etiam in 1. cap. hujuscē libri resellimus, certa fide tenendum est, Confirmationis Sacramento conferri gratiam sanctificantem, sive *gratum facientem*, uti Scholæ loquuntur. Diximus enim citato in loco, Apostolos per manum impositionem dedisse Spiritum Sanctum, quem etiamnum Episcopi conferunt; quamvis linguarum donum, aliasque gratias *gratis datas* haudquaquam impertiant. Diximus etiam passim in hoc libro, quod Concilia, & Patres affirment, neophytes per Episcopalem consignationem Spiritum Sanctum accipere, perfici, consummari, proficere spiritualiter, cœlesti suavitate perfundi, &c., quæ sane catholicam veritatem non obscure commonstrant.

Hæc autem gratia, quæ Confirmationis Sacramento confertur, tribuit baptizatis robur ac virtutem ad fidem intrepide & fortiter propugnandam, & superandas, quæ adversus eam insurgunt, mundi, dæmonisque tentationes. Quare

186 *De Theologicis Institutis*
re Florentina Synodus in Decreto pro Arme-
nis inquit: *Effectus huius Sacramenti est, quia
in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut da-
tus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet
Christianus audacter Christi confiteatur nomen.*
Legitur etiam in Catechismo Rom. n. 2. c. 3.
n. 19. quod *Chrismatis Sacramento, Christiani,
adversus omnes carnis, mundi, & diabolii im-
petus robustiores fiunt, & eorum animus in fi-
de omnino confirmatur ad confiendum, & glo-
rificandum nomen Domini Iesu Christi.*

Quod si quæsieris, num major in Confirmatione, quam in baptismate gratia conferatur; reponet tibi Seraph. Doctor in 4. d. 7. a. 2. q. 3. quod gratia Confirmationis presupponit gratiam baptismalem, sicut bene esse supponit esse. Quando ergo fit comparatio harum gratiarum, potest fieri dubitciter: Uno modo cum presuppositione: & sic omnino major est gratia Confirmationis, quam baptismalis; sicut bene, & perfecte vivere melius est, quam vivere: quia hoc addit ad illud, & complet. Si autem intelligatur præcise, ut scilicet hæc gratia que additur, sit major, vel minor, dicendum sine dubio quod non est tanta efficacie, ut patet, quia vivificare mortuum, major gratia est, & potentia, quam jam vivificantum sanare, vel fortificare, præcise loquendo: sed cum presuppositione majus est esse vivum, & sanum, quod vivum tantum.

Ex dictis eruitur, Confirmationem per se non conferre primam gratiam, sed secundam. Eam enim gratiam Sacmentum per se con fert, ad quam conferendam institutum a Christo est: atque Sacmentum Confirmationis non est institutum a Christo ad primam gratiam

tiam conferendam ; id enim vel ipsum Confirmationis nomen ostendit ; exprimit enim firmatatem , perfectionem , & corroborationem in bono , sive in gratia jam accepta . Unde Doctor Angel. in p. 3. q. 72. a. 7. ad 2. inquit : *Sicut ex ipso nomine apparet , hoc Sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit , & ideo non debet dari his , qui non habent gratiam ; & propter hoc sicut non datur non baptizatis , ita non debet dari adultis peccatoribus , nisi per poenitentiam reparatis . Idem docet S. Bonaventura in cit. loco q. 1.*

Potest tamen Confirmation per accidens primam gratiam impertiri . Nam , uti ibidem subjicit S. Thomas , *Si aliquis adultus in peccato existens , cuius conscientiam non habet , vel si etiam non perfecte contritus accedat , dummodo non fictus accedat , per gratiam collatam in hoc Sacramento , consequetur remissionem peccatorum . Recolite quæ diximus in lib. 24. c. 16.*

Quod præterea ad characterem pertinet , ex adductis in citati lib. c. 18. satis liquet , ipsum esse alterum sacræ Confirmationis effectum . Id tamen hoc in loco breviter expendendum est , an ritus , quo olim in Ecclesiam recipiebantur hæretici , fuerit repetitio Sacramenti Confirmationis ? Hac in re dubitari non potest redeentes ad Ecclesiam hæreticos fuisse receptos , aut unctione chrismatis , aut impositione manus , aut sola professione fidei , uti scribit Gregorius in lib. II. epist. 67. Videndum est ergo , an recipierentur per Sacramentum Confirmationis , adeo ut hæc iterum conferretur . Ac primo notandum difficultatem non esse de hæreticis invalide baptizatis , neque de iis , qui baptiza-

ti

188 *De Theologicis Institutis*

ti quidem , non autem confirmati fuerunt , sed de hæreticis , qui baptismum , & Confirmationem acceperant .

Hæreticos omnes promiscue receptos impositione manus *confirmatoria* contendit Sirmonodus in Antirrhetico 2. c. 5. idemque de hæreticis baptizatis & confirmatis in hæresi , non autem de baptizatis & confirmatis in Ecclesia Catholica prius quam in hæresim laberentur , affirmat Morinus in lib. 9. de Pœnit. c. 7. Communior tamen , & vera sententia est , hæreticorum neminem jam baptizatum , & confirmatum , sive in hæresi , sive in Ecclesia , per Confirmationis Sacramentum fuisse receptum ; adeo ut impositio manus , aut chrismatio adhibita in hujusmodi hæreticorum receptione , ceremonia quedam fuerit , non repetitio Confirmationis .

Et primo quidem hæreticos in Ecclesia baptizatos , ac confirmatos , cum ad Ecclesiam redirent , receptos non fuisse per iteratum Confirmationis Sacramentum evincitur ex Augustino in lib. 3. de Bapt. c. 11. ubi ait : *Hoc enim ipse etiam Cyprianus cum ceteris statuit* , ut si ab hæresibus redirent ad Ecclesiam quicunque fuerant in ea baptizati , non jam per baptismum , sed per pœnitentiam recipierentur . Ac profecto S. Cyprianus in epist. 71. ad Quintum scribit : *Nos quoque bodie observamus , ut quos constet hic baptizatos esse , & a nobis ad hæreticos transisse , si postmodum peccato suo cognito , & errore digesto , ad veritatem & matricem redeant , satis sit in pœnitentiam manum impone-re . At impositio manus in pœnitentiam non confirmatoria est , sed reconciliatrix , & ad ceremoniam pertinens . Dein-*

Deinde, quod etiam hæretici baptizati, confirmatique extra Ecclesiam, recepti fuerint per ceremonialem manus impositionem, non obscure colligitur ex celebri decreto Stephani Papæ contra Rebaptizantes: *Si quis ergo a quocunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pænitentiam.* Quod sane decretum omnes indiscriminatim comprehendit hæreticos, sive intra, sive extra Ecclesiam baptizatos.

Clarius etiam Innocentius I. in epist. 18. scribit: *Arianos baptizatos in hæresi suscipi in Ecclesia per manus impositionem sub imagine pœnitentiae.*

Idem afferit Augustinus in lib. 5. de bapt. c. 23. *Manus autem impositio, si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpan esse judicaretur; propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sine quo non valent ad salutem quæcunque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* Ergo manuum impositio, qua recipiebantur hæretici, non conferebat Spiritum Sanctum & remissionem peccatorum vi sua, ac per se, ut: faciunt Sacramenta, sed ratione unionis & pacis cum Ecclesia, per quam Sacraenta jam suscepta prodeesse incipiebant; non itaque Confirmatoria, sed ceremonialis solummodo dicenda est.

Denique nulla profieri potest satis firma ratio, cur olim Ecclesia baptismum hæreticorum ratum haberit, Confirmationem vero rejecerit; cum pro utroque Sacramento paratio teneat, & argumenta quæ S. Augustinus contra Donatistas adhibuit, ut apud hæreticos

va-

190 *De Theologicis Institutis*

valere baptismum evinceret , iisdem quoque Confirmationem valere proberet . Lege S. Doctorum in lib. 2. contra literas Petilianis c. 104.

C A P U T VII.

De Confirmationis necessitate , necnon de ritibus , quibus illa confertur .

ANequam huic libro finem imponamus , agendum supereft de necessitate Confirmationis , ac de ritibus , quos in ejus collatione usurpat Ecclesia . Qua in re primo juxta Theologorum omnium sententiam affirmamus , Sacramentum istud non esse simpliciter , & absolute , sive *necessitate medii* , necessarium ad Salutem . Certum est enim baptismum ad hoc per se valere , ut hominem a peccato liberet , justitia donet , filium Dei , & hæredem coelestis Regni constituat : Qui proinde in eo statu ex hac vita discedens , sive parvulus , sive adulatus is fuerit , præmio justitiae , ac promissa hæreditate fraudari non poterit , etiam si christatis signaculo minime fuerit communitus .

Afferendum est tamen , Confirmationem necessariam esse sive in re , sive in voto , necessitate præcepti tum Ecclesiastici , tum divini , iis , qui vel coram tyranno profiteri fidem debent , vel adversus Christianam fidem crebris , gravibusque temptationibus impetuntur . Ita contra plures Casuistas regre sentiunt celebriorres

res quique Theologi. Cyprianus enim in epist. 70. scribit: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizandus est, ut accepto chrismate, idest, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Laodicena quoque Synodus can. 48. ita prescribit: *Oportet eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercoelesti chrismate.* Legitur denique in cap. Omnes, de Consecr. dist. 5. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* In his autem, aliisque ejuscemo- di textibus, qui in Conciliis, sanctisque Patribus non raro leguntur, verba illa, *Necesse est, oportet, debent, pracepti vim sonant, nisi respectu omnium, relate saltem ad eos, qui inebunt pro fide certamina, grayibusque contra eam temptationibus oppugnantur.*

Et profecto summa præsumptio est, in re talis momenti, qualis est Christum confiteri, in tanto discrimine, quantum proculdubio certendum est missis, promissis, ac temptationibus percelli, remedia efficacia, & ob hunc præser- tim finem instituta contemnere. In hoc itaque casu qui non curat, ut ab Episcopo confirmetur, sese lethali culpa inquinare, merito probatores Theologi tradiderunt.

Huc faciunt quæ Seraph. Doctor ait in 4. d. 7. a. 3. q. 2. *Est necessitas simpliciter, & ne- cessitas conditionata. Simpliciter non est gratia Confirmationis necessaria, sed necessaria ex con- ditione, scilicet pugnanti, & vincere volenti, sicut comedere necessarium est vivere volenti.* Scribit etiam S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 6. ad 1. *quod virtus divina non est alligata Sa-*
cra-

192 *De Theologicis Institutis*

cramentis. Unde potest conferri homini spiritus-
le robur ad confitendum publice fidem Christi
absque Sacramento Confirmationis , sicut etiam
potest consequi remissionem peccatorum sine ba-
ptismo . Sicut tamen nullus consequitur effectum
baptismi sine baptismi voto , nullus consequitur
effectum Confirmationis sine voto ipsius .

Præterea juxta probabiliorem sententiam di-
cendum est , etiam non instantे persecutione ,
Ecclesiastico divinoque præcepto teneri Fideles ,
ut Sacramentum istud minime negligant ; sed
ut idem sive in re , si possunt , sive saltem in
voto suscipiant . Quilibet enim Christianus
contendere debet ad perfectionem illam , quæ
requiritur , ut securitati suæ consulat , & peri-
cula contra fidem diligenter evitet : atqui ad
hunc finem Christus Sacramentum Confirma-
tionis instituit , neque credibile est , illum in-
stituendo Sacramentum , quod ad singulorum sa-
lutem spectat , noluisse ad idem suscipiendum
singulos obligare . Huc pertinent relatae superiu-
auctoritates , aliæque plures , illudque præsertim
quod in Sacramentali Ambrosiano , & Conci-
lio Mediolanensi IV. legitur : *Illis timendum
valde , qui cum potuerint , in re salutari negli-
gentes extiterint . Aigue in Confirmationis Sa-
cramento suscipiendo negligentes , ut decreto pro-
vinciali ex canone Rhemensi cavetur , canonice sub-
jaceant disciplinis : O' præterea parentes , quorum
negligentia id factum est , ex libro Pœnitentiali
pœnitentiam olim egisse annis tribus appetat .*

Ergo mortaliter peccare dicendi sunt non iu-
tantum qui ex formalī , ut ajunt , contemptu ,
sed etiam qui ex negligentia Confirmationem
recipere non curant ; adeo , ut si adsit Episco-
pus ,

pas, ac se ad confirmandos neophytes denuntiet esse paratum, adulti ætate, nulloque legitimo impedimento detenti, ad suscipiendum salutare Sacramentum accedere tenantur. Ut enim inquit S. Bonaventura in 4. d. 7. a. 3. q. 2. *Ex institutione Ecclesie est, quod nullus ab hoc Sacramento excipitur, sed omnes suscipiunt debent, ut sint strenui pugnatores.* Et ideo si quis eius habet locum, & tempus, & opportunitatem, negligendo contemnit, periculo se exponit. Et sane, qui circumdatuſ infirmitate, lacessitus ab hostiis, & undique mundi irritus illecebris, media ad vincendum necessaria negligit, dum exhibentur, & habentur ad manus, is sponte sese exponit periculo cadendi in spirituali conflictu; qui autem ejuscmodi evidenti periculo se exponit, graviter peccat: ergo &c. Lege Scotorum in 4. d. 7. q. 2. Bene itaque Catechismus Rom. in p. 2. c. 3. n. 15. scribit: *Maxime cavendum est, ne in ore sanctitatis pluma, per quam nobis divina munera tam large impertuntur, aliqua negligenter committatur;* quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. Quare non recte se gerunt qui ad longævam usque ætatem tam salubre remedium differunt. Is enim cogitandum proponimus, quod, ut legitur Act. 8. v. 14. cum audisset Apostoli, Samaritanos recepisse verbum Dei, statim misserunt ad eos Petrum, & Joannem, ut qui baptizati erant, per manuum impositionem Spiritum Sanctum acciperent. Ex hujus insuper Sacramenti neglectu tanta provenit in confirmationibus spiritus imbecillitas, tanta vitiorum
 Tom. XII. N illu-

294 *De Theologicis Instituiss
illuvies, tantaque in hostibus vincendi faci-
litatis.*

Ecclesiastico denique praecepto tenentur Confirmationem accipere, qui Clericali tonsura sunt iniciandi. Ita enim præcipit Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de Reform. *Prima tonsura non iniiciatur, qui Sacramentum Confirmationis non susciperint.* Et recte quidem nam qui prima tonsura initiantur, statui Clericali dant normam, qui status inter omnes in Ecclesia perfectior est; ex eo enim assumuntur Christianæ Reipublicæ Duces, ac Pastores; oportet ergo, ut qui illum ingreditur, in vita spirituali perfectus sit, adultus, & fortis; ideoque quod prius gratia Confirmationis, quæ est gratia roborans, innatiatur.

Hinc communis sententia tradit, peccare mortaliter, qui sciens, etiam secluso contempnitu, Clericalem tonsuram non confirmatus acciperet: quamquam irregularitatem minime contraheret, cum pena hæc in Jure expedita imposita non legatur.

Sed expedit modo, ut de hujus Sacramenti ceremoniis breviter differamus. Ac primo circa Susceptores, sive Patronos advertimus, ex antiqua Ecclesiæ praxi, cuius etiam meminiegunt Gregorius in *Sacramentario*, & Ordo Romanus, adhibendos eos esse in Confirmatione. Hujus autem ritus rationem proferens S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 10. inquit, quod in bellis materialibus constituantur duces, & centuriones, per quos alii gubernentur; & propter hoc etiam ille qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur, quasi per aliud in pugna spiritali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc

Sat-

Sacramentum conferit homini perfectio spiritualis aetatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, sustentatur, quasi abhuc spiritualiter insecabilis, &c. papa.

In Patrinis multiplex conditio requiritur, ac praesertim, quod baptizatus sit & confirmatus, uti Pontificale Romanum, pluresque Synodi decreverunt. Hac de re ita scribit Doctor Angelicus citato in loco ad 2. *Licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesie, nondum tamen est adscriptus militiae Christianae.* Et ideo Episcopo, tanquam Duci exercitus, per alium exhibetur jam militiae Christianae adscriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus. Alias hic conditiones expendere instituti nostri ratio non permittit.

Quod vero ad unctionis modum pertinet, breviter observamus, idcirco nos signari christmate, & accipere Crucis signum in fronte, ut nullo metu, aut verecundia, quarum affectionum signa maxime in fronte apparere solent, a libera Christiani nominis confessione absterrendos esse admoneamur. Opus præterea fuit, ut nota illa, qua Christianus a ceteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriiori corporis parte, in fronte videlicet, figeretur. Lege Catechismum Rom. p. 2. c. 3. n. 23. & S. Thomam p. 3. q. 72. a. 9. & S. Bonaventuram in 4. d. 7. dub. 4.

Deinde qui confirmatus est, leviter ab Episcopo cæditur in maxilla, tum ut suscepit Sacramenti memoriam servet, tuin ut sciat se tanquam fortem athletam paratum esse opotere ad omnia adversa invicto animo pro Christi

196 De Theologicis Institutis
st nomine perferenda. Ac potremo pax ei ab
Episcopo datur, ut intelligat se gratia celestis
plenitudinem, O pacem, qua exuperat omnino
fensem, consecutum esse: inquit Catechismus
Rom. citato in loco n. 25.



DE

D E

THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXVII.

**Ubi de Sacramento Ordinis brevi-
ter disputatur.**



Er tria Sacra menta , Baptismum
seculares, Confirmationem, & Or-
dinem, imprimi characterem in
anima , dogma fidei est a Tri-
dentina Synodo definitum sess. 7.
de Sacram. in genere can. 9. Ha-
cenus de Baptismo , & Config-
uratione sermonem habuimus , nunc ad Ordini-
nis Sacra mentum verba convertimus , consueta
brevitate quæ ad illum præcipue pertinent, no-
stris Tyronibus exponentes . Etsi vero Ordinis
nomen apud Latinos Scriptores plura designet ;
hoc tamen in loco significat sacra illam ac-
tionem , qua nonnulli ab Episcopo ad sacra mi-
steria deputantur ; juxta quem sensum Sacra-
mentum est , atque communiter a Theologis
ex Magistro dist. 24. libri 4. ita describitur :
*Ordo est signaculum quoddam Ecclesie , quo spi-
ritualis potestas traditur ordinata .*

N. 3

CA.

C O M P U T O

Nun̄ Ordō sit propriū Legis Evangelicae Sacramentum?

Propositio . . Ordō est verum ac propriū novae legis Sacramētū : Est contra Lutherum , atque non paucos Nevarores dū cantum Sacramēta ponentes , Baptisma nimirum , & Cœpiti .

Probatur . Ut ipsi etiam fatentur hæretici , ad Sacramētū proprie dictum tria sufficiunt ; extēnum tempore symbolum , gratiæ promissio , & diuinā institutio , sive mandatum : atqui tria hæc in Clericorum Ordinatione non defant . Habetur enī i. sensibile ligatum , manuum scilicet impositio , quam Graci x̄īp̄t̄r̄ias appellant ; nam Act. 8. v. 6: Apostoli electis septem Diaconi , & cotam se constitutis , orantes impoſuerunt manus . Idem factum est Presbyteris a Paulo & a Barnaba electis , Act. 14. v. 23: Ea cum constituerint , Grate x̄īp̄t̄r̄as , illis per singulas Ecclesiis Presbyteros . Neque diuerso ritu ordinatus est Timotheus , de quo Paulus epist. 1. c. 4. v. 14. ait gratia fuisse donatum cum impositione manus Presbyteris ; & epist. 2. c. 1. v. 6. cum impositione manus ejusdem Apostoli .

Huic autem externo ritui annexam esse sanctificantis gratiæ promissionem ex textibus mox

ci-

citatis aperte deducitur. In primo enim scribit Paulus: *Noli negligere gratiam, qua data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii: in altero autem: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, qua est in te per impositionem manuum dearum; clariusque exponens cujusmodi gratia illa sit, e vestigio subdit: Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis: quae sane verba sanctificantem gratiam non obscure demonstrant.*

Divina denique institutio, sive mandatum de ordinandis certo ritu ministris inde colligitur, quod legimus Apostolos, ceterosque ministros a Domino constitutos, Act. 20. v. 28. 1. ad Cor. e. 12. v. 28. & ad Gal. 4. v. 11. & quod Dominus iisdem Apostolis tradidit potestatem remittendi peccata, Eucharistiam conficiendi, sacra mysteria dispensandi, regendi Ecclesiam, eique rediores & ministros præficiendi, & diligendi, Joam. 20. v. 22. Matth. 28. v. 19. in 1. ad Cor. 12. v. 24. & c. 12. v. 28. &c. Patet itaque ex Scripturis nihil sacrae Ordinationi deesse, ut dicatur verum propriumque legis Evangelicæ Sacramentum.

Patrum quoque traditione idem dogma firmatur. Augustinus in lib. 2. contra epist. Parthenian. c. 13. afferit tam Baptismum, quam Ordinem in heretico & apostata permanere. Si enim utrumque, inquit, Sacramentum est, quod nemo dubitat, car illud non amittitur, & illud amittitur? Nevari Sacramenta injuria facienda est.

Leo Magnus in epist. 11. alias 81. ad Diocorum c. 1. prescribit modum conferendi ac

fusciendi sacram Ordinationem , aitque illam ex Apostolica doctrina descendere , ut intelligamus , quanta & dantum , & accipientium devotione carandum sit , ne sante benedictionis. Sacramentum negligenter videatur impletum.

Gregorius M. lib. 4. in libros Regum c. 5. ait : *Is qui promovetur , bene foris unguit , si intus virtute Sacramenti roboretur. Similia ferunt Patres alii tum Latini , tum Graci.*

Denique in veritatis confirmationem Ecclesiæ definitiones accedunt . Per multa enim Concilia synodiacaæ Ordinationes tanquam illicitas condemnantur , quod in his pretio Sacra menta darentur , & venalia fierent instrumenta gratiarum . Ita in Chalcedonensi Synodo statutum est anno 451. & in Bracarensi 121. anno 1572. necnon in Synodis Romæ , Ticinij , Remis , & Moguntiæ habitis a S. Leone IX. & in alioutum Pontificum decretis . In Instructione etiam pro Armenis Eugenius IV. Ordinem inter septem Sacra menta recensuit ; idque confirmavit in sess. 23. cap. 3. & can. 3. Synodus Tridentina ita definitio nis : *Si quis dictrit Ordinem , fave sacram Ordinationem non esse verum & proprium Sacramentum a Christo Domino institutum , vel esse signum quoddam humanum , exagitatum a viris serum Ecclesiasticarum imperitis , aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei , & Sacramensorum , anathema sit .*

Opponunt autem 1. Ex Apostoli verbis supra citatis inferri non potest Ordinem esse verum propriumque Sacramentum . In utroque enim loco , id est , tam in 1. ad Tim. 4. quam in 2. ad eundem Tim. 1. gratia manuam impo-

po-

positione collata nos $\chi\alpha\rho\sigma$ a Paulo dicitur, sed $\chi\alpha\rho\sigma\mu\alpha$; que nomine in I. ad Cor. c. 12. v. 4. designatur gratia sanitatum, discretio spirituum, aliaque dona, que ibidem divisiones gratiarum, διαποίεις χαρισμάτων, appellantur. Non ergo Timotheus gratiam sanctificantem, sed gratiam gratis datam per manum impositionem, accepit; adeoque ista non grat. situs ad Sacramenti dignitatem assurgens.

Resp. ex Graecorum Lexicis apparere, quod $\chi\alpha\rho\sigma\mu$, & $\chi\alpha\rho\sigma$ idem omnino significent: unde Chrysostomus hom. 1. in epist. a. ad Tim. gratiam ei collatam $\chi\alpha\rho\sigma$ vocat. Ipse etiam Paulus de justificationis gratia loquens ad Rom. 5. v. 15. *charisma* illam appellat, inquiens, *sed non sicut delictum, utros non tō $\chi\alpha\rho\sigma\mu$, ita οὐ δο-* sum. Immo in citato c. 12. epist. a. ad Cor. variis gratiarum generibus enumeratis, ait: *Εμulamini autem charismata meliora;* per quod proculdubio Paulus non ad emulationem virtutum, atque signorum, sed sanctitatis & charitatis horstatur. Præterea cum sacra Ordinatio & sanctitatem conferat, & multiplicem potestatem, que ad aliorum utilitatem spectat, ut in laudato loco scribit Chrysostomus; gratia hoc Sacramento collata $\chi\alpha\rho\sigma\mu$ peculiari titulo potuit nuncupari.

At instant. Affirmat Apostolus datam Timotheo gratiam per prophetiam, διά προφητειας; hoc est, ad vel propter prophetandum; proindeque gratia haec ad illa genera gratiarum referenda videtur, de quibus in citato ad Cor. loco v. 10. dicitur: *Alii datur operatio murorum, aliis prophetia, οὐτοις.*

Resp. illud per prophetiam idem significare

de revelante, & iubente Deo; uti plures tunc Catholici, tum heterodoxi exposunt Interpretes, ac deduci videtur ex ejusdem epist. c. 1. v. 18. *Hoc praeceptum commando tibi, fili Timothee, secundum precedentem in te prophetias, ut militos, &c. quibus significari videtur, Timotheum peculiari Spiritus Sancti revelatione suis- se inauguratim Episcopum.* Notarunt etiam Cl. Viri particulati sive posse, in Scripturis apponi ad significanda omnia causarum genera, efficientem primariam, meritoriam, instrumentalem, formalem, finalem; nihilque in addu-*cendo* texu haberi, per quod ea verba sive proprietas determinantur ad finaliter causam denotan-*dam*, quasi Timotheus initiatus sit dumtaxat *ad properandum*. Denique si concedamus hereticis, Timotheo prophetandi donum fuisse concessum, non tamen excludenda est gratia sanctificans, & character; ut superius dicum est.

Opponunt 2. Manum impositio in pluribus ceremoniis adhibetur, ut in expulsione dæmonum, in regotantium curatione, in benedi-*cione* Virginum, &c. non ergo constitueretur potest peculiare Ordinis Sacramentum.

Præterea Christus nequaquam manus imposuit, vel quando Apostolos novi Testamenti Sacerdotes in ultima Cena constituit, vel cum potestatem eis remittendi peccata constitutis insufflando.

Postremo potest aliquis ad ministerii opus assumi per foliari electionem, quin utro Sacra-*mēto* specialemiter consecretur.

Resp. ad 1. materiam determinari per formam ad constitendum certum aliquod Sacramentum;

nec

nec repugnat multiplicem esse ejusdem materiae usum, ut ~~confites de oboe~~, quod in Confirmatione, & in Unctione extrema adhibetur.

Ad 2. reponimus, Christum multa fecisse, quorum Scriptura non meminit. Deinde cum ille propria virtute conferre posset Spiritum Sanctum & gratiam, non opus habebat id sacramentali actione peragere; homines autem ea virtute carentes uti debent mediis & instrumentis a Christo statutis.

Ad 3. respondemus, voluisse Christum, ut homines ad sacri ministerii opus assumerentur per Ordinis Sacramentum; idque, uti ait S. Bonaventura in 4. d. 24. p. 2. a. 2. q. 2., factum est proper Sacramentorum dignitatem, quo in Ecclesia dispensansur, & in quibus Deus contigit, quia ac non venirent in contemptum, non debuerant omnibus committi dispensanda, sed personis spiritualibus: & dum his committitur, quod alii non, datur his potestus, per quam speciali ordine situantur in Ecclesia Dei: & quoniam hi debebant ab aliis per signa aliquae fecerni, & id signum est rei sacrae; ideo potestas hac debuit ordinari per modum Sacramenti; & istud convenientissimum est. Q.e.



CA-

C A P U T . II.

De Ordinum numero.

Sacerdotalis Ordo potestatem continet consecrandi, offerandi, & ministrandi preciosum. Ebdst corpus, & sanguinem, nequaquam dimitiendi, ac recipiendi peccata, ut ex Scripturis, & ex Traditione docemus. Cum autem (ut veribus utamur Tridentina Synodi in sess. 23. c. 2.) dispensatio non sive sancti Sacerdotis ministerium, consensuum fuisse quo dignius, O magiori summa reverentiae exerceri posset, ut in Ecclesiis ordinarioissa disposizione plures, & diversi essent ministeriorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deferviscent: & per quos (ut in ejusdem sess. can. 2. legitur), ruelue per gradus quosdam, in Sacerdotium tendentes, ita distribui, ut gerantur Clerici: Tonsura insigniti, effent, per primorum ad maiores ascenderent.

Septem itaque Ordines eadem sacrofandæ Synodus in citato cap. 2. recenset, quorum hæc sunt nomina: Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos. Non enim Sacerdotum dumtaxat, & Diaconorum quoque saceræ Literæ meminerunt, sed & reliquorum quinque Ordinum nomina atque ministeria iam inde ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse pronunciat. Demonstrandum itaque nunc suscipimus, quanta cum veritate Tridentina id Synodus affirmaverit.

AD

Pro-

Propositio 1. In Latina Ecclesia ab ipso initio ad hanc usque tempora septem Ordines in usu fuere.

Probatur. Cornelius Rom. Pontifex in epistola scripta anno 252. ad Fabium Antiochenum Romae suo tempore fuisse testatur *Presbyteros quatuor & quadraginta, Diaconos septem, eademque Subdiaconos, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas cum Lectoribus & Ostiariis duos & quinquaginta.* Hos autem Ordines ille recentuit, non uti tunc primum inventos, sed uti antiquitus in Ecclesia Romana receperos.

Cajus etiam Rom. Pontifex anno 283. constituit, ne per saltum Clerici promoverentur, nec aliquis esset Episcopus, nisi prius esset *Ostiarius, Lector, Exorcista, Sequens, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter;* ut habetur in Pontificali collecto, editoque ex vetustioribus Catalogis ab Anastasio Bibliothecario. Idem quoque numerus legitur in Excerptis quibusdam decretorum Silvestri in Collectione Isidori Mercatoris, & in epist. Gelasi ad Episcopos Lucaniæ, in Sacramentario Gregorii, & in Romano Ordine.

Septem denique Ordinum mentionem faciunt Concilia, ac praesertim Carthaginense av. celebratum Christi anno 398. eosdemque recensent Patres, quorum plures modo unum, modo alteram Ordinem laudarunt, uti ex infra dicendis apparebit, alii etiam septem Ordines enumerant, explicantque, uti præcipue præstitit Isidorus Hispalensis in lib. 7. Origia. c. 12. & alibi.

Propositio 2. Graeca quoque Ecclesia septem olim

206 De Theologicis Institutis

alim Ordines admisisti videtur , quantum modo nonnihil ab antiquo usu recellerit .

Probatur i. pars . Et quod Ecclesia Graecorum a principio usque ad pristinum tempus quatuor Ordines in usu habuerit , Presbyteros nempe , Diaconos , Hypodiaconos , & Lectores , Theologici omnes affectantur ; alios autem minores Ordines in Graeca etiam Ecclesia viguisse sic ostendimus . Exortatores , & Ostiarii conceptis verbis traduntur ab Auctore epistole ad Antiochenos n. 12. quam Ignatius plures ascribunt , a Laudicina Synodo can. 24. & ab Epiphanio in Expositione fidei , quae extat post Hæresim lxxx. n. 21. De Exorcistis etiam occurrit men- tio in Canone x. Synodi Antiochenæ anno 341. & de Ostiariis in Trelano can. iv.

Præterea Joannes Citeri Episcopus in lib. 3. Juris Orientalis apud Goerium pag. 197. me- morat Deputatos cum cœris precedentes ; ac de his Simeon Thessalonicensis ita apud eundem Goarium ait : Sunt & alia deputati , & cœ- foriorii officia , quorum xypoburia , inauguracione ante ordinacionem Lectoris celebratur , que sane neficio cur non exercetur . In Ecclesia vero Thessalonicensium paulo ante in usu erat , & in antiquis Ritualibus exemplaribus scripta reperieba- tur . Hi autem Deputati cœros gerentes non sunt , nisi Acolythi ; quod & Græci recentiores agnoscunt . Denique Gabriel Philadelphiensis apud Morinum p. 21 pag. 202. Exorcistas , Ja- nitores , Acolybosque commemorat .

Nunc vero eti apud Græcos septem Ordines sejunctis initiationibus minime conserua- tur , revera tamen existunt , & Acolythus , & Ostiarius simul consensunt cum Syndico- natu .

natu. Grati enim, ut constat ex pluribus Codicibus collectis, editisque a Morino, in ipsa Subdiaconi initiatione, utuntur formula, in qua prater alia verba hac leguntur: *Da illi, Domine, amare honestatem, & decorem donum tue, assistere portis templi sancti tui, accendere lumen tabernaculi gloriae tue.* Hinc Benedictus XIV. in Coenit. *Etsi Passionalis, super Ritibus Graecorum ait, per Subdiaconatum Graecorum collatum, Acolybatum, & Ostiariatum recipi.*

Carece autem Exorcistarum recentiores Gracos ex eadem Constitutione colligitur, ubi laudatus Pontifex declarat hunc Ordinem suppleendum esse in illo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum, aut etiam Presbyteratum Graecum suscepit, & Latissimo postea ritu ad sacram Presbyteratus respectu Ordinem, aut Episcopatum promovendus sit en Apostolica confessione.

Alii tamen Orientales non solum Acolythatum, & Ostiariatum simul cum Subdiaconatu conferunt, ut apparet ex Ritu Maronitarum, & Euchologio Melchitarum Arabico, & ex Euchologio Coptico Jacobitico; verum etiam Exorcistarum tribuunt una cum Diaconatu, vel Psalmistatu, uti peritissimi Orientalium rituum Viri notarunt. Recte itaque Tridentina Synodus Ordines numeravit. Lege P. Berii in lib. 36. c. 2. copiosius de hoc capite disputationem.

Objicies. Si Antiquorum scripta volvamus, Ordines multo plures videntur esse quam septem. Sane Psalmista, sive Captores mentionantur a Concilio Carthaginensi IV, can. 20.

ab

ab Isidoro lib. 2. de Eccl. Offic. c. 12. &c. Fofiarii etiam, & Copiatæ recensentur ab Auctore epist. ad Antiochenos inter Ignatianas, ab Epiphanio in Compendio Doct. Cath. & ab aliis. His præterea addendi sunt *Custodes Mar syrum*, *Notariorum*, &c. Postremo nomine Episcopatus inter omnes Ordines est supremus; nonne & Tonsura est Ordo, cum eam suscipiens a laicorum cœtu transferatur ad Clericum? .
 Resp. Psalmistas peculiari Ordinem in nomine inauguriati. Hoc enim nomine in Ecclesia Latina vel intelligentur ii, qui sola tonsura iniciati ad psallendum in Choro cum aliis Clericis admittuntur; quo in sensu Durandus Mil manensis Episcopus lib. 2. Rat. c. 3. inquit: *Psalmista quandoque tonsuratus vocatur.* Vel illi etiam hoc nomine veniunt, qui absque ultra Clericali initiatione Cantorum funguntur officio; juxta quem sensum Carthaginense Concilium IV. can. 10. ait: *Psalmista, idest, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola iustitione Presbyteri officium suscipere cantandi.* Apud Græcos autem Lectorum Cantorumque idem censetur Ordo; nam in Lectorum Ordinatione iniciatio præcipitur, ut si canere possias, & psaltes sis, legat aliquid de Psalterio. In utraque tandem Ecclesia Psaltae, Cantoresque dicuntur, qui alternatim in Choro psallunt, sicuti patet ex Chrysostomo hom. 36. in 1. ad Cor. ex Ambroso ad c. 15. Lucæ, &c. Non ergo Psalmista est Ordo speciali ab aliis ratione distinctus, quomodo cunque Psallentium nomen accipias.

Fofiarii, sive Copiatæ, idest Laborantes non alia ratione nonnunquam Clericorum nomine

CO-

cohonestantur , nisi quia iisdem Clericis aliquando mandabatur , ut defunctorum cadavera sepelirent ; quod in tumulandis præsertim Martyrum corporibus servatum fuisse certissimum est . Deinde Carthaginense Concilium IV. can. 81. officium humandi mortuos committit publicam pœnitentiam agentibus ; quod utique non fecisset , si officium istud pertinuisse ad Clericos . Denique L. 13. de *Episcopis C. T. Co-* piatæ a Clericis apertissime distinguuntur : *Cle-* *rici vero , vel bi , quas Copias recens usus in-* *stituit nuncupari , O.c.*

Custodes Martyrum , sive *Martyriarii* erant Subdiaconi , qui sacras reliquias asservabant : Notarii dicti sunt Clerici , qui instrumentorum , & tabularum Ecclesiæ curam habebant ; hæc vero nomina , aliaque similia , ut *Catechista* , *Parabolani* , *Economi* , *O.c.* non Ordinum , sed officiorum dumtaxat discrimen ostendunt .

Denique idcirco sepe rem recensentur Ordines , quia ad verum Christi Corpus , idest ad Eucharistia Sacramentum , soli septem directe tendunt : Episcopatus autem ad regendum mysticum Corpus Christi , & ad creandos alios Sacramentorum Ministros , aliosque Ecclesiæ milites ordinatur . De Tonsura vero e vesti-
gio nunc agemus .

C A P U T . III.

De Clericali Tonsura.

Priusquam quis ad Ordines admittatur, cautum ab Ecclesia fuit, ut insigne Tonsuræ Clericalis accipiat, per quam videlicet ei tunc primum Clerici nomen imponitur. De hujus nominis etymo ita ad Nepotianum epist. 34. scribit Hieronymus: *Cleros Græce, fors Latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus fors, idest pars Clericorum est.*

Primo itaque circa Tonsuræ hujus originem dicimus, eam in Ecclesia obtinuisse ab ipsa Apostolorum æstate, institutamque fuisse, ut Clerici distinguerentur a Laicis, Anicetus enim Papa, aut quisquis sit Auctor perantiqui Decreti apud Gratianum dist. 23. c. 21. ait: *Clerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphaera radant.* Gregorius Turonensis in lib. 1. de Gloria Martyrum c. 27. scribit Petrum Apostolum instituisse, ut *caput desuper tonderetur.* Beda in Historia Anglorum lib. 4. c. 1. narrat Theodorum, ut a Vitaliano Papa ordinaretur, expectasse quatuor mentes, donec illi capillus cresceret, quo in coronam sonderi posset. Et lib. 5. c. 22. ex Cebaldo Abbe dicit, nos in coronam attonderi ad Petri exemplum, *quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita atconsus est.* Denique Si-

Sidonius Apollinaris in lib. 4. epist. 13. de Germanico Episcopo scribit : *Vestis adstricta, tonsus corburnas, crinis in rote speciem accisus.*

His accedit, quod temporibus Juliani Apostatae Presbyter quidam Theodorus ab ethnicis supplicio affectus est, quia nonnullos pueros detondendo cooptaret in Clericos, ut ex lib. 12. Ammiani Marcellini demonstrat Baronius ad anbum 58. n. 128. In vetustissimis etiam Actis Ecclesiae Divionensis, apud Martenium lib. r. c. 8. a. 7. n. 7. legitur S. Benignum Presbyterum agnatum a Terentio Comite fuisse ob tonsi capitis coronam. Benignus vero fuit Polycarpi discipulus, subiitque martyrium sub Marco Aurelio Imperatore, juxta Martyrologium Romanum die 1. Novembris, & Baronii annotationes ibi affixas.

Postremo Occidens, & Oriens, universæque nationes, in quibus propagata est Christiana Religio, Clericos habent a laicis tonsura, capitisque corona discretos; cumque nemo posterioris ætatis adiunctorum possit ejusmodi conuentus institutor, recte eam dicimus ab ipsis Apostolis dimanasse.

Perperam itaque Recentiores aliqui, quos inter Juenin, & Tournely, dixerunt, per quinque, vel quatuor priora secula Clericos caput non habuisse detonsum; quia eo signo facile dignosci, & ad mortem trahi a fidei persecutoribus potuissent. Neque enim necesse tunc erat ita amplam deferre tonsuram, aut nudatum gestare verticem, ut dignosci ab ethnicis Clerici possent, et si quosdam tali deprehensos indicio minime dubitemus.

Ex dictis apparet, Tonsuram semper sphæ-

212 De Theologicis Institutis

ticæ fuisse figuræ , ac retulisse coronam . Hinc Toletana Synodus IV. anno 633. can 41, ait : *Omnes Clerici de tonso superius solo capite , inferius solam circuli coronam relinguant.* De hujus autem coronæ significatione legendi sunt S. Bonaventura in 4. d. 24. p. 1, a. 1. q. 1. S. Thomas in suppl. q. 40. a. 1. & Catechismus Rom. ip p. 2. c. 7. n. 14.

Hic insuper adnota , quod Orientales fere totum occipitum , & magnam sincipitis partem tondere soleant forcipe , non vero novacula , ne cute apparente , videantur similes raserorum , ac Sacerdotum Isidis , & Serapidis , qui omnino crines radebant ; unde Hieronymus in c. 44. Ezechielis ait , non debere Sacerdotes incedere rasis capitibus sicut Sacerdotes Isidis atque Serapidis , nec rursum comam demittere , nec ita ad pressum tondendum caput , ut raserorum similis effe videamur : sed in tantum capillos dimitto , ut opera sit cutis : quibus verbis non improbatur Clericalis Tonsura , ut nonnulli insiste dixerunt , sed Orientalium tonsura describitur.

At videndum modo est , an hæc Tonsura sit Ordo . Prosper Fagnanus , & quidam alii Canonistæ eam inter veros Ordines adnumerant , & Sacramentum esse contendunt ; oppositum tamen fere omnes e Schola Theologica tenent , quorum & nos septentiam sectamur , ac ita probamus ,

I. Concilia , præsertim Carthaginense IV. anno 398. Aquisgranense anno 816. Florentinum in Decreto unionis , ac Tridentinum in sess. 23. c. 2. dum singulos recensent Ordines , nullam Tonsuræ faciunt mentionem ; imo Tridentinum in ejusdem sessionis cap. 6. de refor-

format. ab Ordinum numero illam expungit, inquiens: *Nullus prima tonsura initatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.*

II. Nunc apud Græcos Tonsura non est verus Ordo, sed ritus quidam, quo initiandi Lectoratu tondentur in Clericos, invocato tantum Dei nomine, & nulla sacramentali forma prolatâ: de initiando enim in Lectorem Pontificale Græcorum inquit: *Signatur ter in capite, ac tondetur in forma crucis.* Jam vero præcedente in cap. diximus Ordinatum apud Græcos, si concessione Apostolicæ Sedis ad Latinorum ritum transeat, promovendum esse ad omnes omnino Ordines, quos ab Episcopo Græco non habuit, etiam ad Exorcistatum, quamvis jam fuerit ordinatus in Presbyterum. Atqui ad Tonsuram ordinandus non est. Hæc igitur non est Ordo.

III. Dum Ordo confertur spiritualis aliqua potestas traditur Ordinato, juxta Ordinis descriptionem a Magistro traditam, & a Theologis omnibus ubique receptam. Atqui nulla per Tonsuram spiritualis potestas iniciato conferatur, sed dumtaxat ad vacandum divino cultui deputatur, ita, ut dicat divinas laudes cum resto ministrorum collegio; Et ad hoc non præexistit aliqua potestas Ordinis, sed solum quedam deputatio ad tale officium; Et ideo non est ordo, tonsura, sed preambulum ad ordinem: ita scribit S. Thomas in suppl. q. 40. a. 2.

His consonat etiam Seraph. Doctor in 4. d. 24. p. 1. a. 1. q. 2. scribens, quod sicut in transiuntibus de uno statu ad alium præmittitur aliquod preparatorium, quod non ponit in statu,

214 De Theologicis Institutatis

sed disponit; sic suscipientes ordinis sacramentum in quodam speciali statu inter fideles colloca-
tur. Unde quemadmodum inter statum secularis,
Et religiosum medius est novitiatus, in quo nec
secularis, nec religiosus est proprius, . . Et sicut
inter fideles, Et infideles mediis sunt catechu-
meni, qui tamen non sunt inter fideles compu-
tandi, . . Sic Clerici medii sunt, in quantum
babent tonsuram inter laicos, Et ordinatos: quia
tamen signum istud omnibus est commune; ideo
apnes Clerici nuncupantur, Et confunditur no-
men. Sicut ergo novitiatus non est religio, sed
ad religionem disponit; Et catechizatio non est
baptismus, sed dispositio Et preparatio; sic com-
mune signaculum non est Sacramentum, nec Or-
do, sed tantum dispositio. Eadem fere leges in
Catechismo Rom. p. 2. c. 7. n. 13.

Opponunt autem i. Innocentius III. cap.
Cum contingat, Extra de ætate & qualit. Or-
dinandorum, inquit: Per primam tonsuram
juxta formam Ecclesie datam Clericalis Ordo
confertur. Deinde Tonsura initiatos aliquando
degradari constat ex cap. Degradatio, de Poësit.
in vi. & ex Pontific. Romano, ubi 3. p. de
forma degradat, in degradatione a prima Ton-
sura habetur: Deponimus, degradamus, spoli-
mus, Et eximus te omni ordine, beneficio, Et
privilegio Clericali. Agitur etiam de eorum
degradatione, qui Tonsura initiati sunt, in Con-
stitutione Sixti V. quæ incipit: Sanctum Et
salutare, ibique Clericalis character tribuitur
Tonsuratis.

Resp. Innocentium Ordinis nomen genera-
liter Ecclesiasticum significare gradum, quo
Clerici laicus præponuntur: unde consulto ait,
Cle-

*Clericalis Ordo, non, Ordinis Sacramentum. Li-
quet insuper degradationem, non ab Ordine,
prout Sacramentum & character est, qua ra-
tione est prorsus indelebilis, sed ab officio,
habitu, & privilegiis arcere, & ad commu-
nionem laicam redigere: de his igitur expli-
canda sunt quæ in degradationis formula, &
in Sixti V. Constitutione leguntur; ubi cha-
racteris nomen non animi habitum, sed exte-
riorem notam, coronamque significat: nam
& a Græcis ipsa capillorum detousio Chara-
cter tonsuræ vocatur.*

Opponunt 2. Pontificem Clericos initiatum deprecari Deum, ut his, qui ad deponendum
comas capitum suorum pro ejus amore festinant,
*dones Spiritum Sanctum, necnon adhibere ver-
borum formam, tum in incidentibus capillorum
extremitatibus, tum quoque in imponendo su-
perpelliceo. Denique Tonsuratis aliqua spiri-
tualis potestas datur, per quam Ecclesiasticis
beneficiis donantur, & aliquando in Ecclesia
Episcopalem jurisdictionem exercent, excom-
municant, aliosque Clericos suspendunt; quod
longe præstantius est, quam templorum ape-
rire fores, pulsare cymbalum, urceolosque
deserre. Erit ergo Tonsura verus Ordo, ve-
rumque Sacramentum.*

Resp. quod si argumentatio adducta valeret,
multiplicanda in immensum essent Sacra-
menta, cum omnis fere sacer ritus cum prece ali-
qua, & sub invocatione divinæ gratiæ per-
agatur: hoc enim modo benedicuntur Ab-
bates, consecrantur Virgines, coronantur Re-
ges, &c. Excommunicare vero. Cleri-
cosque punire, non ad Ordinis, sed ad ju-
risdi-

216 *De Theologicis Institutis*

risdictionis pertinet potestatem ; non enim est ministerium ad Eucharistiam speciali ratione respiciens . Lege S. Thomam in suppl. 3: p. q. 34. a. 3. & Ven. Scotum in 4. d. 24. q. unica .

C A P U T . IV.

De Minoribus Ordinibus.

Ordinum distinctio in *minores* , *majoresque* notissima est . Illi quatuor sunt , nempe Ostiarius , Lectoratus , Exorcistatus , & Accolythus : isti vero sunt tres , Subdiaconatus , Diaconatus , & Presbyteratus . Idcirco autem hi *majores* , & *sacri* vocantur , quia proprius ad altare accedunt , Eucharistiam conficiendo , aut confidenti proxime ministrando . At de hoc clarius infra .

Hoc in capite de minoribus Ordinibus sermonem aggredimur , quærimusque , an illi sint ritus , ac gradus ab Ecclesia instituti , ne statim Clerici ad sacra ministeria proveherentur ; an vero sint Ordines proprie dicti , veraque Sacramenta quæ gratiam conferant & characterem .

Propositio . Probabilior est opinio , quæ minoribus Ordinibus veram propriamque Sacramenti rationem attribuit . Ita cum S. Thoma , S. Bonaventura , & Ven. Scoto sentiunt omnes sere antiquiores Theologi , pluresque recentiores .

Pro-

Probatur. Non maiores tantum, sed & minores Ordines a Conciliis dicuntur conferri ab Episcopo per *Ordinationem*: hoc autem nomine eadem Coacilia veri Sacramenti collationem denotare videntur. Nam Carthaginense Concilium IV. tam canone 2. 3. & 4. in quibus de Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ordinatione pertractat, quam proximis quinque, hac utitur phrasib; *Sybdiaconus* cum ordinatur, *Acolytus* cum ordinatur, *Exorcista* cum ordinatur, *Lector* cum ordinatur, *Ostiarius* cum ordinatur: dum vero agit canone 10. de Psalmista, & deinde de consecratione Sanctimonialis, *Ordinationis* nomen haudquaquam usurpat. Ergo Concilium *Ordinationis* nomine non cujuscunque ministerii, aut gradus, & ritus collationem ac perfectionem intelligit, sed rem aliquam longe sublimiorem, veri scilicet *Ordinis Sacramentum*.

Florentinum quoque Concilium de Sacramentis differens, *Sextum*, inquit, *Sacramentum est Ordinis*, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur *Ordo*; ac recentis rebus, quibus apud Latinos conferuntur Ordines maiores, ait, *Et similiter de aliis per verum ad ministeria sua pertinentium assignationem*. Definita pariter sacre *Ordinationis* forma, illaque producta, per quam Sacerdotii *Ordo* confertur, subjungit, *Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur*. Sub generali itaque appellatione *Ordinis*, & quidem *Sacramenti*, non tantum sacros, sed minores etiam Ordines comprehendit.

Denique Concilium Tridentinum, quamvis adias.

218 *De Theologicis Institutis*

adiaphoram hanc questionem definire noluerit, in hanc propendisse sententiam videtur indubium. Sessione enim 23. cap. 2. docet, Ordinem esse vere, & proprio Sacramentum, nec loquitur expresse de Sacerdotio, aut de Diaconatu, sed universam de sacra Ordinatione, quae verbis & signis exterioribus perficitur. Deinde postquam can. 2. definit, preter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & maiores & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur, in proximo canone, nulla limitatione apposita, statuit, Ordinem sive sacram Ordinationem esse vere & proprio Sacramentum a Christo Domino institutum. Ergo Concilium in singulis Ordinibus veri Sacramenti rationem videtur agnoscere.

Præterea Augustinus in lib. de bono conjug. c. 24. demonstrat vinculum nuptiale non solvi, etiamsi filii minime procreantur, exemplo Ordinationis, inquiens: *Quemadmodum si fiat Ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis Ordinatis Sacramentum ordinationis;* & si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, *Sacramento Domini semel imposito non carabis.* Vides igitur Augustinum Sacramenti nomine inaugurationem Clericorum omnium insignire; nam & ejus astate minores Ordines in usu fuisse constat ex prædicto Concilio Carthag. iv. cui S. Doctor interfuit.

Ex his iasuper Augustini verbis infertur, per minores Ordines sacramentalem imprimi characterem, cuius respectu iterari non possunt. Et protesto nisi Sacmenta essent, ac nisi characterem imprimarent, sed solummodo gra-

gradus ac ministeria forent ; per excommunicationem , aut depositionem penitus delerentur , atque absolti , vel restituti in gradum pristinum , iterum ordinarentur ; quod Ecclesia praxi repugnat . Hinc & in Pontificali Romano tit. de *Ordinibus conferendis* , inter ceteras Pontificum exhortationes in omnibus Ordinationibus faciendas haec habentur : *Moneat Ordinandos* , quod *instrumenta* , quibus character ins�mitur , tangant .

Huc accedit , quod in singulis Ordinibus adhibetur materia & forma , non qualiscumque , sed quæ exprimit ministerii potestatem , relate ad Sacramentum Eucharistie : Singuli igitur veri Sacramenti participant rationem .

Tandem ex Benedicti XIV. Constitutione Græcus jam Presbyter ordinatus , veniens ad ritum Latinorum tenetur suscipere *Ordinem Exorcistarum* ; & ex cap. *Sollicitudo* , dist. 3. n. 1. sive ex Rescripto Alexandri II. ad Episcopum Constantiensem , ordinatus ad Diaconatum , & Presbyteratum , *Subdiaconatus ordine postposito* , tenetur Subdiaconatum ipsum suscipere : Ergo inferiores Ordines , & Subdiaconatus non ob id instituti fuere , ut digniores tantum ac adulti ad Sacerdotium promoverentur , nec illo fungerentur neophyti & tyrones , sicuti recentiores quidam Thaologi affirmarunt ; sed habent illi suam praestantiam ac dignitatem , ob quam ratione uila prætermitti non debent .

Objicies i. Urbanus II. in Concilio Beneventano anno 1091. ait : *Sacros Ordines dicimus Diaconatum , & Presbyteratum . Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse : super his solis preceptum Apostolicum habemus . Ergo pro-*

220 *De Theologicis Institutis*

priorum quinque Ordinum additio ad Diaconatum & Presbyteratum non est divini, sed Ecclesiastici instituti; quod etiam afferuere nonnulli doctissimi Viri, ut puta Amalarius in lib. 2. de officiis Ecclesiasticis c. 6. Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 3. c. 13. Magister in 4. d. 24. &c.

Resp. Urbanum loqui de Ordinibus, qui speciali titulo *Sacri* dicuntur; nam cum illi antea duo essent, Diaconatus nimirum & Presbyteratus, ipse Subdiaconatum etiam ad talēm dignitatem evexit; ut in sequenti cap. clarius apparebit.

Dici præterea potest in Ecclesiæ primordiis propter exiguum fidelium numerum omnium inferiorum Ordinum ministeria Diaconis fuisse commissa; quæ postea multiplicatis fidelibus distincta fuisse, & quidem antiquitus, apparet ex dictis supra in c. 2. Cumque separata collatio Subdiaconatus, & minorum Ordinum reliqua fuerit Ecclesiæ dispositio & arbitrio; idcirco Urbanus affirmat, quod de his *præceptum Apostolicum* non habemus.

Hoc denique in sensu exponi possunt quædam Veterum dicta, ac præsertim Sententiarum Magistri, qui citato in loco inter alia scribit, *Christum omnium septem ordinum officia in semetipso exhibuisse, Et corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquisse; Et qui digne ad eos accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere: ac postremo subjungit: Dicuntur hi ordines Sacraenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia conferunt, quam figurant ea, qua ibi geruntur.*

Quæ superius dicta sunt, ex S. Bonaventu-

toræ doctrina firmantur , qui in 4. d. 24. p. 2. a. 2. q. 2. scribit , quod eſi in primitiva Ecclesia Presbyteratus tantum & Diaconatus extiterint , uti ex Scripturis apparet ; alii tamen Ordines implicite dabantur in impositione manuum , quoniam manus est organum organorum . Ratio autem quare non distinguebantur , erat propter paucitatem ministrantium , & propter paucitatem fidelium ; ideo oportebat , quod omnia officia darentur ipsi . Nunc autem multiplicatus est divinus cultus : &c. Eadem fere scribit Ven. Scotus in 4. d. 24. q. unica , ubi quoque facetus , singulos Ordines a Christo fuisse institutos .

Objicies 2. Laici quandoque minorum Clericorum officia peragunt ; nam pluribus in locis sunt Ecclesiarum janitores , luminaria accendunt , Missis inserviunt , &c. Non ergo ministeria isthac Sacramentum ullum expostulant .

Resp. non omnia Ordinum officia talia esse , ut a laicis vel ab iis qui non sunt Clerici , exerceri omnino non possint . Nam & baptismus , cuius conferendi jus proprie habet Sacerdos , a quocunque conferatur , est validus ; & aliquando potest licite a non Sacerdote , immo a laico quoque conferri . Ita similiter propter defectum vel negligentiam eorum qui ad hæc inferiora Ordinum officia proprie ordinantur , Ecclesia tolerat & interdum etiam probat ministeria laicorum ,

Agendum modo superest de minorum Ordinum officiis , simylque monstrandum , quarum feasibilium externaliumque rerum traditione singulari conferantur . Inter minores Ordines primus idemque insimus est eorum , qui Ostiarii Janitoresque vocantur . Horum munus est tem-

p*i*

222 *Dē Theologicis Institutis*

phi claves habere , ejusque ostia claudere & aperire , ad divina dato campanæ signo Christianum populum convocare , infideles , excommunicatos , & Sacramentorum detinores arcere ; Ostiarii etiam officium erat ; uti Catechismus Rom. ait in p. 2. c. 7. n. 15. ad Missam Sacrificium assistere , curatras ne quis propius , quam par esset , ad sacra aram accederet , & Sacerdotem rem divinam facientem interpellaret . Denique ex antiquissima consuetudine hic Ordo clavium traditione confertur , ut constat ex canone 9. Carthag. Concilii iv.

Alter est Ordo Lectoris , cuius officium est , novi & veteris testamenti libros distincte recitare , cantare lectiones , & Catechumenis tradere prima fidei rudimenta . Olim quoque Lector de pulpito legedat praescriptam ab Episcopo Evangelii , vel alterius Scripturæ partem , quam deinde idem Episcopus populo exponebat . Ad ipsum etiam spectat benedicere panem , & omnes , fructus novos . Confertur hic Ordo traditione Codicis , in quo divinæ lectiones habentur .

Tertio loco veniunt Exorcistæ , ad quos juxta potestatem sibi in ordinatione collatam pertinet nomen Domini invocare , & manus imponere super energumenos , ac dæmones adjurare per nomen Domini , ut exeant aut a nocendo defistant . Ordinatur ideo Exorcista traditione libri , in quo conscripti sunt exorcismi . Ad ipsum quoque pertinet , dicere populo , ut qui non communicat , dote locum ; & aquam in ministerio fundere . uti legitur in Pont. Romano .

Tandem ad Acolythus spectat ministros ma-

jo-

jores, Subdiaconos, & Diaconos in altaris ministerio affectari, eisque operam docet; unde & Acolytibz dicti sunt, sive *Sequentes*, a Græco verbo *ακολυθίω*, sequor. Præterea, ut Catechismus Rom. citato in loco n. 18. scribit, *lumina deferens, & asservant, cum Missæ Sacrificium celebratur, præcipue vero, cum Evangelium legitur; ex quo Ceroferarii alio nomine vocati sunt*. Vinum denique, & aquam ad Eucharitiam ministrant. Quapropter eorum Ordinatio peragitur porrectione candelabri cum candela extincta, & uicecoli vacui, sub prescripta forma verborum.



CA-

C A P U T V.***De Subdiaconata.***

SUBdiaconus est Minister sub Diacono immediate constitutus, eidemque subserviens; quare illam Græci *Hypodiaconum*, & *Hypiresam*, idest *Subministrum*, appellant. Hujuscem Ordinis occurrit mentio apud Cyprianum epist. 24. Epiphanium in expositione fidei, Cornelium in epist. ad Fabium Antiochenum, Athanasium in epist. ad Solitarios, & apud Laodiceum Concilium can. 21. Eliberitanum can. 30. Carthaginense IV. can. 5. &c.

Hunc Ordinem e Sacramentorum numero ii sere omnes expungunt, qui in minoribus Ordinibus eandem dignitatem denegant. Verum si quæ in præcedenti capite diximus attendantur, probabiliter affirmandum videtur, etiam Subdiaconatum esse verum ac proprium Sacramentum. Dum enim Subdiaconus ordinatur, adhibentur materia, & forma, quibus potestas traditur tangendi, & ad altare deferendi vasa sacra, ac proxime Diacono ministrandi. Adeo igitur sensibile signum spiritualem potestatem conferens Ordinato; adeoque adeo verum Ordinis Sacramentum.

In eadem quoque Ordinatione, cum nunquam iteretur, character imprimitur; ideoque habetur sacramentalis effectus: Cumque unus Sa-

Sacramenti effectus , ubi non desit suscipientis dispositio , ab alio minime se jungatur , dicendum est; Subdiacono etiam gratiam in Ordinatione conferri , ut digne suo fungi possit officio.

Est insuper Subdiaconatus Ordo sacer , ac inter maiores Ordines recensetur : inquit enim Tridentina Synodus sess. 23. cap. 2. *Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus , & sacris Conciliis referuntur.* Sacer autem i. dicitur , quia tribuit spiritualem facultatem proprius , quam faciant minoribus iniciati , inserviendi in ministerio altaris , in eodem collocandi oblationes , sacra vasa proprio , sibique commissum munere contrectandi . Hoc in sensu Subdiaconatus a sui institutione sacer , unusque ex maioribus Ordinibus semper fuit . Unde Doctor Angel. in suppl. q. 37. a. 3. scribit : *Ordo dicitur sacer dupliciter , Uno modo secundum se , & sic quilibet Ordo est sacer , cum sit Sacramentum quoddam . Alio modo , ratione materiae , circa quam habet aliquem actum ; & sic Ordo sacer dicitur , qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam ; & sic sunt tantum tres Ordines sacri , scilicet Sacerdotium , & Diaconatus , qui habent actum circa corpus Christi , & sanguinem consecratum ; & Subdiaconatus , qui habet actum circa vasa consecrata .*

Dicitur præterea sacer Subdiaconatus propter solemnem cœlibatus professionem , amplioremque ejusdem Ordinis honorem : atque hoc in sensu sacer non semper ille fuit ; sed primum dignitatis gradum sub Gregorio Magno obtinuit , quando iste Subdiaconis legem continentiae , ac cœlibatus injunxit . Secundum

226 De Theologicis Institutis

gradum assicatus est , cum Urbanus II. iussit , ut accedente Apostolica dispensatione , Subdiaconus in Episcopum eligi posset ; nam antea non nisi ex Presbyterorum , & Diaconorum Ordine assumebantur Episcopi . Ad tertium denique dignitatis gradum electus fuit , cum Innocentius III. privilegium istud Subdiaconis etiam sine dispensatione concessit . Lege cap. *Ante triennium dist. 30. n. 1. cap. A multis, deestate & qualit. & ord. præficiendorum, & cap. Miramur, de servis non ordinandis.*

Quod si sacer Ordo eo in sensu sumatur , quod in Ecclesia jurisdictionem aliquam conferat , & principatum , Subdiaconatus non est inter sacros Ordines computandus . Patres enim in Ordine Hierarchico tantum Episcopos , Presbyteros , & Diaconos collocarunt . Ita Ignatius in Epist. ad Smyrnæos loquens de subordinatione , quæ inter Ecclesiæ ministros servanda est , inquit : *Laici Diaconis subditi sunt , Diaconi Presbytero , Presbyteri Episcopo , Episcopus Christo , sicut ipse Patri . Ubi , ut vides , nulla sit mentio Subdiaconorum . Idem colligitur ex Hieronymo in epist. ad Evangelium , & Augustino in epist. ad Valerium Hipponensem Episcopum . Inveniuntur etiam Conciliorum Epistolæ ad Episcopos , Presbyteros , & Diaconos directæ , in quibus proinde a sacro Principatu , & Ecclesiæ Hierarchia Subdiaconi excluduntur . Præterea in Constit. Apostolicis lib. 2. c. 16. lib. 7. c. 32. & lib. 8. c. 45. Presbyteris , & Diaconis , non autem Subdiaconis tribuitur regimen laicorum ; quod pariter deducitur ex Tertulliano in lib. de fuga in persecut. c. 2. ex Optato Milevitano lib. 1. adversus*

Par-

Parmen. &c. Ergo si Ordo sacer ita accipiatur , ut denotet Hierarchicum Ordinem , & iste idem sit , ac Ordo jurisdictionem includens , Subdiaconatus neque Ordo sacer , neque Hierarchicus dici potest .

Sed postremo jam de Subdiaconi officio breviter disseramus . Juxta igitur Pontificale Romanum ad Subdiaconum spectat , aquam ad altaris ministerium preparare , ministrare Diacono , pallas altaris corporalia ablucere , calicem & patenam in usum Sacrificii Diacono offerre , oblationes fidelium suscipere , & ex his quantum satis est populo , in altari reponere , ac cavere , ne in Sacrario putridum aliquid remaneat . Ipse etiam Episcopo , & Sacerdoti aquam praebet , quam in Missa Sacrificio manus abluunt . Olim ipsuper Catechumenis fidelitatem tradebat ; nam Cyprianus in epist. 24. ad Clerum scripta testatur , Optatum a se Hypodiaconum , & doctorem audientium constitutum . Confertur hic Ordo traditione calicis & patenæ , uti colligitur ex Concilio Carthaginensi & Florentino : addunt Pontificalia traditionem etiam libri epistolarum ; sed communis opinio est , Subdiaconos olim epistolam non legisse , sed vel Diaconos , vel Lectores ; eamdemque traditionem ad Subdiaconatus substantiam minime pertinere .

C A P U T VI.

De Diaconatu.

Diaconus, ~~diaconos~~, Grāce, idem Latine est ac Minister, a verbo διάκονος, ministro. Hinc Diaconi etiam Levitæ vocantur, ex Levitico scilicet ministerio, quod veteris Testamenti Sacerdotio serviebat,

Diaconatus Ordinem inter vera & propria novæ Legis Sacraenta recenser communis Theologorum assertio non solum contra Novatores, sed & contra Durandum, qui in 4. d. 24. yni Sacerdotio Sacramenti dignitatem adscribit. In eandem quoque sententiam proponet Cajetanus in tomo 1. Opusculorum, & dubitanter hac de re loquitur Franciscus a Victoria Relectione 2. propos. 3.

Propositio. Diaconatus est verum legis Evangelicæ Sacramentum.

Probatur. Diaconatus, sive Diaconi Ordinatio est signum sensibile, quod justificantem gratiam ex Christi institutione producit: est igitur verum ac proprium Sacramentum. Probatur antecedens: Act. 6. ubi agitur de ordinatione septem Diaconorum, legitur v. 6. Hos, nempe septem viros, quos elegerant, statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Quibus profecto monstratur signum sensibile impositionis manus, ut ma-

materia , & orationis , ut forma ; simulque gratia indicatur effectus . Non enim Apostoli imponebant manus , & orabant , nisi ut illi , super quibus imponendo manus orabant , Spiritum Sanctum acciperent .

Quod autem signum illud ex Christi institutione descenderit , ipsum Apostolorum factum ostendit . Non enim illi ejuscemodi ritum usurpassent , nisi a Christo edociti fuissent ; quorum exemplo insistens Ecclesia perpetuo sibi Diaconos ordinavit .

Deinde Synodus Tridentina in sess. 23. can. 4. ait : *Si quis dixerit , per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ; ac proinde frustra Episcopos dicere , Accipite Spiritum Sanctum , ... anathema sit .* Atqui in Latina Ecclesia dum Pontifex Diaconum ordinat , ei manum imponens , inquit : *Accipe Spiritum Sanctum ;* & in Ecclesia Græca eti non imperativo , deprecativo tamen modo eadem verba dicuntur . Ergo per ordinationem Diaconi datur Spiritus Sanctus ; ac proinde ordinatio illa est proprium Sacramentum , sicut etiam Hieronymus eandem appellat adversus Vigilantium paulo post initium . Idem denique demonstratur ex sacris Diaconorum officiis , de quibus inferius differemus .

Objicies 1. Ex citato Aetorum textur nihil potest pro sententiæ nostræ confirmatione conciliari . Ibi namque Diaconi dicuntur electi ad profanum solummodo ministerium ; scilicet , ut mensis præsiderent , & eleemosynas in viudas ac pauperes erogarent . Eo enim in cap. v. 2. ajunt Apostoli : *Non est æquum nos dereliqueremus verbum Dei , & ministrare mensis .* Consider-

230 *De Theologicis Institutis*

rare ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, &c. Primi ergo Diaconi electi fuere dumtaxat, uti mensarum, viduarumque ministri. Unde Hieronymus in epist. 146. ad Evangelum ait: *Quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos tumidus se efficerat, ad quorum preces corpus Christi, sanguisque conficitur?*

Resp. septem Diaconos fuisse quidem electos occasione murmuris Graecorum, iisque viduarum curam, mensarumque communium directionem fuisse commissam; at simul illas inauguratoros fuisse ministros sacros, non tantum ex manuum impositione, & oratione monstratur, verum & ex ea apertissime constat, quod Apostoli ad Diaconorum officium non qualescumque fideles elegerint, sed viros industrios, aliorum testimonio probatos, & plenos *Spiritus Sancto, & sapientia*, ut legitur v. 3. Quare ex illorum numero Stephanus de principiis mysteriis tanta spiritus vehementia disputavit, ut ei resistere nemo potuerit. Philippus etiam Samaritanis, Eunicho, aliisque baptisma contulit, & Evangelium praedicavit; unde & sibi nomen Evangelistæ promeruit. Ceteri quoque, si forte Nicolaum advenam Antiochenum excipias, præclarum in Ecclesia Christi testimonium reddiderunt, uti ex Martyrologiis appareat. Tales itaque viros nequaquam credibile est ab Apostolis ita sollicite expeditos fuisse, ut unice mensarum ministerio, viduarumque curæ præsse; eo præsentim tempore, quo ad Christi fidem ubique disseminandam talibus yitis vel maxime opus erat, neque decessent alii tripus quidem docli, fideles tamen & industrii, qui possent.

temporalibus præponi negotiis.

Dicendum est itaque, primos Diaconos vi-
duarum curæ præfectos, simul etiam sacros
altaris fuisse ministros: idque insuper confir-
matur ex eo, quod eleemosynæ viduis ac pau-
peribus distribuendæ, collectæ erant ex fidelium
oblationibus, dum Sacrificium Eucharisticum im-
molabatur, die præsertim Dominica, uti colli-
gitur ex 1. ad Cor. c. 16. Illarum ergo ele-
mosynarum œconomia demandanda iis erat,
qui altaris ministerium exercebant.

Neque dictis obstant verba illa: *Nos est
equum, &c.* Etsi enim mensarum ministerium
a ministerio verbi, & oratione distinctum
erat; non tamen unum alterum excludebat,
sed utrumque simul Diaconi exequabantur. Nam
ipso quoque Apostoli, ut liberius orationi, &
prædicationi vacarent, pauperum quidem cu-
ram commisere Diaconis, non ita vero, ut
hanc a se penitus amoverent; uti constat ex
Act. 11. & 12. ex epist. ad Gal. c. 2. ex episto-
lis ad Corinthios, &c. Quia igitur quotidiana
pauperum cura non parum inturbabat subli-
miora Apostolorum officia; idcirco illi penes
se hujuscce rei auctoritate retenta, administra-
tionem, exterioremque occupationem Diaconis
commendarunt.

At dices. Si sacrum etiam erat Diaconorum
ministerium, cur Lucas in Actis illud expresse
non memorat?

Resp. unicpm Lucæ fuisse consilium, literis
consignare occasionem, qua Diaconi ordinati
fuerunt, non autem sacra illorum ministeria
recensere, quæ ad historiam minime pertine-
bant, & quæ congruum erat infidelibus, &

232 *De Theologicis Institutiis*
catechumenis occultate. Lege Cl. Estium in 4.
d. 24. §. 18.

Tandem Hieronymus idcirco Diaconos vi-
duarum , mensarumque ministros appellat , ut
eorum superbiam , fastumque retundat , qui se-
se Presbyteris præferebant . Hos ergo monet ,
ut cogitent , qua primum occasione Diaconi
fuerint constituti ; non tamen afferit , quod in
solo mensatum ministerio eorum versetur offi-
cium : imo eadem in epist. subdit : *Et ut scia-
mus traditiones Apostolicas sumptas de veteri
Testamento , quod Aarón , & filii ejus , atque
Levitæ in templo fuerunt , hoc sibi Episcopi , &
Presbyteri , & Diaconi vendicent in Ecclesia
Dei . At Levitarum ministerium non erat pro-
fectio profanum .*

Objicies 2. auctoritatem Trullanæ Synodi ,
quæ can. 16. ait : *Prædicti septem Diaconi non
de iis accipiuntur , qui mysteriis serviunt , . . .
Ied eos esse quibus fuit concredita ac tradita dis-
pensatio communii eorum usui , qui tunc collecti fue-
rant .* Idem sentire videtur Chrysostomus hom.
14. in Acta ab eadem Synodo laudatus , & Ec-
cumenius suis in eundem locum Commentariis .

Resp. quosdam Trullanæ , seu Quinisextæ
Synodi canones nullius esse ponderis , cum a
placitis moribusque Ecclesiæ tum Latinæ , tum
Græcæ recedant ; uti patet ex hoc ipso can.
16. in quo canon Neocæsariensis de septem
tantum Diaconis ordinandis in Ecclesia qua-
tumvis numerosa rejicitur . Nituntur præterea
Trullani Patrēs falsæ verborum Chrysostomi
interpretationi ; cum S. Doctōr dūm taxat affir-
met , ad Ordinem Diaconatus non pertinere ,
uti primarium munus , pecuniarum administra-
tio-

tionem, quandoquidem illas in Ecclesia CP.
& alibi non Diaconi, sed Presbyteri dispensa-
bant; additque in Ecclesiae exordio nullum
fuisse Episcoporum, Presbyterorum, & Diacon-
orum nomen; interea tamen peractas fuisse il-
lorum Ordinationes, donec formata paulatim
Ecclesia suus unicuique gradus confisteret. Ut
ergo erant ab initio quantum ad characterem,
& ordinem Episcopi, ita erant & Diaconi: at-
que id Chrysostomus absque ulla ambiguitate
testatur, hom. 11. in epist. 1. ad Timoth. Im-
mo eadem hom. 14. in Acta scribit in sacra
Septem illorum Ordinatione fuisse impositionem
manuum, quæ hominis opus est, atque divinam
operationem. De Ecumenii vero sententia pa-
rum nihilque curamus.

Objicies 3. Cyprianus in epist. 65. ad Rogatianum ait: *Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, idest Episcopos & Praepositos Dominus elegit; Diaconos autem post ascensum Domini in caelos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiae ministros.* Non ergo Diaconatus est Sacramentum divinitus institutum.

Resp. S. Cyprianum unice affirmare, quod Christus per se immediate Diaconos minime ordinariit, sicuti ea modo in Apostolis ordina-
vit Episcopos. Et hanc ratione qua ampliorem
Episcopalis Ordinis dignitatem supra Diaconatum ostendit, reprimit S. Doctor audaciam
Diaconi cuiusdam adversus Rogatianum Episco-
pum insurgetis.

Quod si tandem Diaconorum officia nosse
volueris, reponemus ea plura esse, sed præci-
pue ad ipsos pertinere, ut Episcopis concio-
nes habentibus praesto sint, & confientibus

Sa-

234 *De Theologicis Institutis*

Sacramenta ministrent, in Missæ sacrificio Evangelium legant, atque cum eorum, qui presenti, facultate, prædicent, baptisma conferant, & Eucharistiam distribuant. Olim quippe duus usus Calicis obtinebat, illum Diaconi communicantibus portigebant. Diaconorum autem Ordinatio in Ecclesia Latina peragitur impositione manuum Episcopi, & traditione libri Evangeliorum; apud Græcos vero manum impositione, & correctione flabelli, quo apud Orientales sacra dona in altari posita ventilantur. At flabellum, quod nulla verborum expressione porrigitur, sacramentalis materiæ rationem habere non potest.



CA-

C A P U T . VII.

De Presbyteratu.

Presbyter, πρεσβύτερος, Graece idem est, ac Latine *Senior*; quod nomen aliquando astatem, aliquando honorem dignitatemque significat. Ita in Scriptura veteris Testamenti, & in Evangelii vocabulum istud fere pro magistratu plebis accipitur, quod ea præfectura deferrri plerumque soleat viris aetate provectis. In Actis autem & Epistolis Apostolicis Ecclesiasticam denotat præfecturam, dupliceque significationem habet, generalem unam, alteram specialem. In generali acceptione comprehendit Episcopos, imo & ipsos Apostolos, ut patet ex 2. & 3. Epistola Joannis, & ex 1. Petri ult. ubi Petrus & Joannes Seniores, nempe *Presbyteros* se appellant. Item ad Titum 1. Presbyterum pro Episcopo sumi, inde constat, quod cum v. 5. jubeat ei Paulus, ut constituant per civitates *Presbyteros*, v. 7. subdit: Oportet enim *Episcopum* sine crimine esse. Legem etiam Act. cc. 14. 15. & 20. item 1. ad Tim. 3. &c.

Specialis autem ejusdem nominis acceptio sumitur a Paulo in 1. ad Tim. 5. v. 17. Qui bene presunt *Presbyteri*, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo Doctrina: & v. 19. Adversus *Presbyterum* accusationem poli recipere, &c. Qui agit Apostulus de

de Presbyteris Episcopi iudicio subiectis, agnoscitque Presbyteros honore dignos, in doctrina tamen minime laborantes; quod de Episcopis dici non potest. Sed & Jacobus cum in epistola sua c. 5. scribit, ad infirmum adducendos esse *Presbyteros Ecclesie*, simplices Presbyteros, & in speciali sensu intelligit, cum in una Civitate esse non possint plures Episcopi. In hac ergo speciali significatione nunc Presbyteri non men accipitur, quæriturque, an Presbyteratus Ordo sit proprium legis Evangelicæ Sacramentum?

Propositio affirmativa est contra hereticos. Probatur. Ordo Presbyteratus est ritus sensibilis, qui ex divina institutione confert gratiam, tribuitque spiritualem potestatem: est igitur verum ac proprium Sacramentum. Probatur antecedens: Est ritus sensibilis, cum adsit ibi materia, sive illa sit instrumentorum porrectio, sive manuum impositio, sive utrumque, (de hoc enim infra tractabimus) neque desit verborum forma applicata materiæ: ergo.

Præterea Ordo iste gratiam sanctificantem ex divina institutione producit, ut constat ex dictis in hujus libri c. 1. cum contra Novatores ostendimus, sacram Ordinationem esse verum propriumque Sacramentum. Tribuit quoque potestatem conficiendi Eucharistiam, & remittendi peccata, & alia quædam Sacra menta administrandi: ergo &c.

Id insuper confirmatur Conciliorum Florentini, & Tridentini doctrina. Nam Florentinum, postea quam ait Ordinem esse sextum in Ecclesia *Sacramentum*, immediate de Presbyteratu

tu pertractat. Tridentinum quoque sess. 21. c. 1, ait institutos a Christo Sacerdotes, cum dixit: *Hoc facite in mean commemorationem.* Et sess. 23. c. 1, docet esse in Ecclesia Dei visibile Eucharistia Sacramentum, & visibile pariter, ac externum Sacerdotium, quod a Domino Salvatore institutum est; atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio traditam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi, & resinandi. Denique ejusdem sessionis can. 2. definit, Sacerdotium inter Ordines principem locum tenere, & in illud, tanquam in perfectorum finem, tendere inferiores Ordines: canonem autem 13. ferit anathemate affirmantes, *Ordin-m., sive sacram Ordinationem non esse vere, & proprio Sacramentum, a Christo Domino institutum.*

Objicies. In Scriptura non legitur, Presbyteratum a Christo fuisse institutum: ergo &c. Probatur antecedens: Paulus ad Ephesios 4. v. 11. enumerans singula officia, quæ Christus instituit in opus ministerii, in edificatione corporis Christi, ait, ipsum dedisse quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores; quin de Presbyteris, sive Sacerdotibus ullam faciat mentionem aut hic, aut in 1. ad Cor. c. 11. ubi eadom fere dona recenseret. Non ergo Christus in Ecclesia Presbyteratum instituit,

Resp. ex dictis, a Christo Presbyteratum, sive Sacerdotium institutum fuisse, cum Lucas 22. concessit Apostolis facultatem conficiendi, & offerendi Eucharistiam, dicens: *Hoc facite in*

238 De Theologicis Institutis

in meam commemorationem. Paulus autem citatis in locis ordinaria, & Hierarchica Ecclesiaz ministeria non recognoscet; cum inter hæc nec *St. Apostolatus*, nec *prophetia*, nec *gratia curationum*, nec *donum linguarum*, quæ tamen ibi dinumerat; sed percenset dona, seu *gratias gratis* das, quas tunc fidelibus in *adificationem Ecclesiaz* patrem *Deus* largiebatur, & identidem etiam modo aliquibus pro sua voluntate distribuit.

Quod si affirmare volueris, Paulum etiam de ordinario, & permanente in Ecclesia ministerio suisse locutum; reponemus, ab illo Sacerdotium comprehendens suisse sub generali nomine *Pastorum*, & *Doctorum*, per quos intelligi possunt *Episcopi*, *Presbyteri*, & *Diaconi*; de his enim tum Lucas in Actis, cum Paulus in suis Epistolis sæpe commemorant.

Denique Presbyterorum præcipua munia duo sunt, immolare Deo Sacrificium, & a peccatis absolvere; de quibus prolixe alibi differemus. Ordinantur vero Presbyteri apud Latinos non tantum impositione manuum, verum etiam porrectione calicis cum vino, & patenæ cum pane; quam porrectionem esse Ordinis hujus materiam docet in Instructiōe Armenorum Eugenius IV. Quoniam tamen Orientales Ecclesiaz materia hac non utuntur, variantque etiam in aliis Ordinibus conferendis, opus est, ut de sacrarum Ordinationum materia distinctione capite paulo inferius pertractetur.

CA-

C A P U T VIII.

De Episcopatu.

Episcopus, επίσκοπος Græce idem sénat, ac Latine *superinspector, speculator, visitator, superintendens*; ideoque hoc nomine apud profanos etiam Scriptores insigniti inveniuntur Reges, Praesides, ac Magistratus reipublicā curam agentes. In veteri item Testamento is qui Levitis præterat, Episcopus appellabatur, ut legitur 2. Esdræ c. 11. v. 22, Petrus denique in epist. 1. c. 2. v. 25. etiam Christum Dominum dicit *Pastorem*, & Episcopum animalium nostrarum. Merito igitur qui in Ecclesiastica Hierarchia ceteris præponuntur, honestissimo amplissimoque Episcoporum nomine decorantur: uti enim inquit Augustinus in Psalmum 126, *Altior in Ecclesia locus positus est Episcopis, ut veluti in specula constituti, superintendant, & custodiant populum.* De illorum autem Ordinatione videndum modo est, aut veram habeat Sacramenti rationem.

Propositio, Episcopatus, sive Episcopi Ordinatio verum est Sacmentum, & quidem a Presbyteratu distinctum, Ita cum Ven. Scoto in 4. d. 24. q. unica communiter recentiores Theologi contra quosdam Veteres arbitrantur.

Probatur. Præcipua Scripturæ testimonia, ex quibus Catholici contra Lutheranos ostendunt,

240 *De Theologicis Institutis*

dunt, Ordinationem esse verum Sacramentum intelligenda sunt de Episcopali ordinatione; aut igitur ordinatio isthac verum est Sacramentum, aut ex illis Scripturaræ testimoniis contra Novatores demonstrari non potest, sacram Ordinationem esse verum Sacramentum: atqui posterius istud Tridentino Concilio, communique Orthodoxorum doctrinæ repugnat: ergo &c. Probatur antecedens: præcipui textus depremuntur ex 1. ad Tim. c. 4. v. 14. ubi de ejusdem Timothei ordinatione inquit Apostolus: *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; idest, Collegii Episcoporum, uti Chrysostomus, *Ecumenius*, *Theophylactus*, aliquæ interpretantur. Item ex verbis illis in 2. ad Tim. c. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei*, &c. probat Tridentina Synodus sess. 23. c. 3. Ordinem esse verum Sacramentum, per quod gratia conferatur. Cum itaque hisce in locis nonnisi de Episcopali ordinatione loquatur Apostolus, dicendum est, &c.

Præterea in Consecratione Episcopi reperitur idonea Ordinis, & Sacramenti materies, idest impositione manuum consecrantis, & forma. Confertur etiam duplex Ordinis sacramentalis effectus, gratia scilicet, & character: & quantum ad gratiam attinet, hanc in Episcopi consecratione conferti, colligitur ex mox citatis Apostoli verbis, quæ insuper collationem gratiaræ sensibili signo, idest impositioni manus adscribunt; proindeque illam ex opere operato produci, & sacramentalem gratiam esse demonstrant. Certum est etiam imprimi characterem, cum valeant ordinationes illorum Episcoporum, qui

qui propter schisma; vel hæresim ab Ecclesia separantur, sicuti docet S. Augustinus in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. aliusque in locis adversus Donatistas. Habent ergo Episcopi vi consecrationis suæ potestatem aliquam indelebilem, quam neque ob hæresis crimen amittunt: hujuscemodi vero potestas aut character est, aut characteris effectus; per quam etiam Episcopatus semel rite collatus, nunquam nova consecratione repetitur. Divina denique institutio patet ex Act. 20. v. 28. Ergo Episcopatu*m* nihil eorum deest, quæ ad Sacramentum ordinis requiruntur.

Huc accedit, quod Episcopalis Ordinatio Sacramenti nomine aperte a Patribus decoretur, præsertim a Leone M. qui serm. i. in die anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum ait: *Cum bujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro & sanguis creavit, eligitur; sed cessante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit: ut in populo adoptionis Dei, cuius universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrene originis obtineat unctionem, sed dignatio coelestis gignat Antistitem.*

Etiam Gregorius M. lib. 4. in i. Regum c.s. semel ac iterum Sacramentum appellat unctionem, qua inauguranter Episcopi, inquiens: *Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vera ipsa unctione Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virius: Sacramenti roboretur.*

Præterea apud Augustinum in lib. 1. de a-

Tom. XII.

Q

dis

242 *De Theologicis Institutis*

Eis cum Felice Manichæo legitur hunc illi dixisse: *Non tantum ego possum contra tuam virtutem, quia mira virtus est Gradus Episcopalis.* Ex quo recte infert Estius, hæreticis Catholicisque persuasum tunc fuisse, quod Episcopali Ordinatione insignis gratia conferatur.

Id insuper ex Pontificali Romano colligitur, ubi prescribitur, ut Consecrator, & qui ipsi assistunt alii duo Episcopi, manus imponant supra eum, qui in Episcopum ordinatur, ac dicant: *Accipe Spiritum Sanctum.*

Postremo ex dictis clara certaque consecratione descendit, Episcopatum esse Sacramentum a Presbyteratu omnino distinctum. Peculiariter enim ritu, diversa consecratione, dispar ceremonia, propriisque materia, & forma perficitur; consertque ulterius potestatem ordinandi, christma conficiendi, & consignandi, quam Presbyter vi ordinationis sua non habet.

Objicies i. Ex communi Theologorum sententia septem dumtaxat Ordines numerantur: atqui si Episcopatus esset verus Ordo, ac proprium Sacramentum, Ordines essent octo, non septem,

Resp. Episcopatum ac Presbyteratum sub uno Sacerdotii Ordine comprehendendi; quod idem est ac Sacerdotium (uti genus in species) in duos dispesci Ordines, quorum alter potestatem tradit Eucharistiam offerendi, alter vero excellenter consert auctoritatem ordinandi illos, qui Eucharistiam conficiunt immolantque. Hinc Tridentina Synodus ss. 23. cap. 2. dum septem enumerat Ordines, supremum non Presbyterorum appellat, sed *Sacerdotum*, Episcopos simul Presbyterosque complectens. Hinc &

& nonnulli Veteres , ex quibus Optatus in lib. 1. n. 13. *Episcopos in primo , Presbyteros in secundo Ordine constitutos appellant ; extantque Theodosii , & Valentiniani leges , in quibus agitur de secundis Sacerdotibus . Ex quibus apparet , septenarium Ordinum numerum non augeri , etiam si Episcopatus inter Ordines , & Sacramenta ponatur .*

Ceterum non defuere , qui octo Ordines numerarunt ; atque his consentire videntur Carthaginense Concilium IV. & Latina Græcaque Pontificalia de ordinandis Episcopis separatim agentia . Ajunt vero , recte vulgo septem Ordines recenseri , quia septem dumtaxat ad conficiendum Eucharistiaz Sacramentum directe respiciunt ; Episcopatus autem ad regendam Ecclesiam , creandosque Sacmentorum Ministros immediate refertur . Lege Estium in 4. d. 24. §. 28.

Objicies 2. Ea est Ordinum natura , ut unus sine alio inferiore collatus imprimat charactrem , nec sit iterandus ; ut constat de Presbytero , aut Diacono per saltum ordinatis , cap. *Sollicitudo* dist. 52. & cap. *Tue literæ* lib. 5. decret. tit. 29. Atqui ex communi Theologorum sententia nequit quis omisso Presbyteratu in Episcopum ordinari .

Resp. cum Estio citato in loco , quod in Ordinibus Sacerdotio inferioribus non conferatur potestas alicujus operis , quod humanam virtutem omnem excedat ; unde aliquando etiam non-ordinatis actiones illorum Ordinum committuntur . At in Sacerdotio talis potestas datur , quæ in Episcopatu non datur , nec tamen ea carecere potest Episcopus ; ideoque nemo

244 *De Theologicis Institutis*
valet in Episcopum ordinari, nisi prius fuerit
ordinatus Sacerdos: sicuti nemo confirmari pot.
est, nisi prius fuerit baptizatus.

Objicies 3. Si Episcopatus ob ampliorem
sui dignitatem esset Ordo, & Sacramentum a
Presbyteratu distinctum, etiam Archiepiscopatu
tus, Patriarchatus, & Papatus essent Ordines,
& Sacraenta ab Episcopatu diversa; quod
nemo dixit.

Resp. negando sequelam, quoniam in variis
Episcoporum gradibus eadem est potestas Or-
dinis, ac sola jurisdictionis, dignitatisque di-
versitas. Unde Doctor Angel. in suppl. q. 40.
a. 6. ad 3. ait: *Potestas Sacerdotis exceditur a*
potestate Episcopi, quasi a potestate alterius ge-
neris: sed potestas Episcopi exceditur a potestate
Papa, quasi a potestate ejusdem generis. Et ideo
omnem actum bievarcicum, quem potest facere
Papa in ministracione Sacraementorum, potest fa-
cere Episcopus. Non autem omnem actum, quem
potest facere Episcopus, potest facere Sacerdos in
collatione Sacraementorum. Et ideo quantum ad
ea, que sunt Episcopalis ordinis, omnes Episco-
pi sunt aequales.

Ex dictis denique confutata remanet Schola-
sticorum illorum opinio qui dixerunt, in Epi-
scopali consecratione non imprimi distinctum
characterem; sed ampliari dumtaxat, perfectio-
nemque reddi characterem Ordinis Presbytera-
tus, & ad ea, quae sunt Episcoporum, exten-
di. Si enim Episcopatus a Presbyteratu diver-
sus est Ordo, diversumque Sacramentum, ergo
diversus etiam per ipsum character imprimitur.
Deinde querimus quid importet illa Presbyter-
ialis characteris extensio; estne reale aliquid,

vel

vel dumtaxat relatio rationis? Primum dici non potest, tum quia realiter proprieque nequit extendi, quod partibus caret, ut est character spiritus-lem mentem informans; tum quia par virtus exigitur ad characterem reipsa extendendum, ac ad imprimendum novum: ergo si Episcopatus pristinum Presbyteratus characterem exten-dere valet, valet & aliud recentem impri-mere. Neque alterum dici potest; nam si po-testas, quæ in Episcopatu confertur, est vera, realis, & a simplici Presbyteratus potestate distingua; ergo & Episcopalis character esse debet verus, realiterque distinctus.

Tandem ordinantur Episcopi impositione manuum, positione Codicis Evangeliorum su-pra caput, unctione ejusdem capitis ambarum-que manuum, ac denique traditione Codicis Evangeliorum, baculi pastoralis, & anauli. Postremo cum illi ad regendam Dei Ecclesiam a Spiritu Sancto sint positi, ad eorum officium pertinet quidquid ad pascendum Christi gregem exigitur; sicutrum ut doceant, ut Sacra-menta omnia administrent, ut jurisdictionem exerceant.



Q 3

CA.

C A P U T IX.

Ubi de Ordinis materia, & forma tractatur.

Diximus in lib. 24. c. 2. omnia novæ legis Sacraamenta constare materia, & forma, sive re aliqua sensibili, & aliquibus verbis, quibus ad rem sensibilem accendentibus, perficitur Sacramentum: cum itaque Ordinatio novæ legis Sacramentum sit, pater & ipsam habet sensibile aliquid per modum materiæ, & aliquibus constare verbis, quæ formæ locum teneant, remque sensibilem ad rationem Sacra-menti determinent.

Hinc Eugenius IV. in Iinstruc. Armenorum de Ordinis Sacramento sic loquitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Prophyteratus traditur per calicis cum vino, & patena cum pane porreptionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium affagationem. Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viris, & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*



At

At cum Græca Ecclesia in conferendis Ordinibus Hjerarchicis, Episcopatu scilicet, Presbyteratu, & Diaconatu, solam manuum impositionem adhibeat, neque instrumentis utatur; idcirco Scholastici in assignanda essentiali Ordinum materia plurimum altercantur. Nonnulli enim illam in sola instrumentorum porrectione constituunt; uti putarunt Capreolus, Dominicus Sotus, Vasquez, & alii, ac Thomistæ præsertim multi, afferentes impositionem manuum ad Sacramenti quidem integritatem, non vero ad substantiam pertinere. Alii e contra Diaconatus, & Presbyteratus, & Episcopatus materiam locant in sola manum impositione; instrumenta vero esse materiam accidentiarum, aut integrantem existimant; quod tamen de aliis Ordinibus dici non potest, cum in Latina Ecclesia minores Ordines, & Subdiaconatus per instrumenta dumtaxat sine impositione manuum conferantur: hac in sententia sunt Juenin, Tournely, aliquique plures ex recentioribus Theologis. Quidam postremo in eisdem Ordinibus duplicem materiam partiale agnoscunt; instrumentorum scilicet porrectionem, & impositionem manuum: ita sensere Petrus Soto, & Cardinalis Hosius, aliquique a Bellarmino citati, quorum nos opinionem uti probabiliorem amplectimur.

Propositio 1. Probabiliter arbitramur, quod essentialis materia Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus tum in instrumentorum porrectione, tum in manuum impositione consistat.

Probatur 1. pars ex relatis supra Eugenii verbis, ubi de Presbyteratu, & Diaconatu loquens Pontifex, essentialem illorum Ordinum

248 De Theologicis Institutis

num materiam tradit; sicuti dum de aliis Sacramentis agit, non aliam materialam, nisi essentialem affligat. Deinde Pontificale Rom. intit. *de Ordinibus conferendis* affirmat in traditione instrumentorum imprimi characterem; nam inter ceteras Pontificum exhortationes in omnibus Ordinationibus faciendas haec habet: *Moneat ordinandos, quod instrumenta, quibus character imprimitur, tangant.*

Præterea illa est sacrorum Ordinum essentialis materia, quæ est sensibile signum, quo spiritualis potestas traditur Ordinato. Atqui signum illud est sacrorum instrumentorum portatio, cui & additur forma verborum, *Accipere potestatem, O.c.* Instrumentorum ergo traditio est sacrorum Ordinum essentialis materia. Lege S. Thomam in suppl. q. 37. a. 5. & S. Bonaventuram in 4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 4.

Hinc opinamur, ad essentialem Episcopalis Ordinis materiam non pertinere solam manuum impositionem, verum & traditionem codicis Evangeliorum cum verbis adjunctis: *Accipe Evangelium, O vade, predica populo tibi commisso, O.c.* Per hoc enim sensibile signum traditur Ordinato spiritualis potestas Evangelium praedicandi, quæ ita Episcoporum propria est, ut nullus alias, nisi de illorum licentia, valeat praedicare. Lege Synodus Tridentina in sess. 5. de reformatione c. 2.

Probatur 2. pars. Scriptura dum loquitur de Ordinationibus Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, semper dicit eas per manum impositionem fuisse peractas; ut constat ex Act. 6. v. 6. Act. 13. v. 3. 1. ad Tit. 4. v. 14. &c 2. ad Tim. 1. v. 6. in quibus etiam posterioribus

bus locis vis conferendi gratiam eidem impositioni tribuitur. Atqui ejusmodi vis convenire non potest ritui , qui accidentalis sit , & ad Sacramenti substantiam nulla ratione pertineat. Ergo manuum impositio saltem uti pars spe-
ciat ad essentialem Hierarchicorum Ordinum materiam , cum sit signum gratiae , & char-
acteris efficiens : idque tenemur firmissime asse-
rere quicunque adversus haereticos dicimus sa-
cræ Ordinationis Sacramentum ex Paulinis Epi-
stolis demonstrari .

Patres insuper , Romanique Pontifices vim
gratiae productivam manuum impositioni pas-
sim attribuunt . Vide Ambrosium in lib. de
Dignit. Sacerd. c. 5. Hieronymum in c. 58.
Isaiæ , Augustinum lib. 5. de Bapt. c. 20. nec-
non Innocentium I. epist. 22. ad Episcopos
Macedoniæ c. 3. Lea M. epist. 87. ad Episcopos
Mauritanie , &c.

Accedunt quoque Concilia , ac præsertim
Carthaginense IV. quod can. 2. 3. & 4. disertis
verbis affirmat , Episcopos , Presbyteros , ac
Diaconos per impositionem manuum ordinari ;
& Tridentinum sess. 14. de Extrema Unctione
cap. 3. docens , quod ejusdem Sacramenti thi-
nistris sint aut Episcopi , aut Sacerdotes ab ip-
sive ordinati per impositionem manuum presby-
terii .

Propositio 2. Materia Subdiaconatus , & mi-
norum Ordinum est instrumentorum porrectio.

Probatur ex Pontificali Romano , quod qui-
dem referens Ordinationem Subdiaconorum , in-
feriorumque Clericorum solam instrumentorum
porrectionem sine manuum impositione com-
memorat ; idque juxta ritum jam in Cartha-
gi-

250 *De Theologicis Institutis*

ginensi Concilio IV. cap. 5. præscriptum: *Sed diaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum.* Apud Orientales tamen non maiores tantum Ordines, verum & Hypodiaconatus, & Lectoratus manuum impositione conferuntur.

Objicies 1. contra 1. propos. Scriptura, & Patres de instrumentorum traditione nihil affirmant, sed eam progressu temporis sola injunxit Ecclesia. Atqui Ecclesia circa Sacramentorum materias innovare nil valet. Instrumentorum ergo traditio est ceremonia tantum accidentalis, neque ut pars pertinet ab substantiam Sacramenti.

Resp. juxta non improbabilem opinionem quam exposuimus in lib. 24. c. 2. non omnium Sacramentorum materias fuisse a Christo in specie determinatas, ut aquam in Baptismo, & panem ac vinum in Eucharistia: sed quorundam Sacramentorum materias determinavit ille dumtaxat in genere, relinquens Ecclesiaz facultatem aliquid addendi, quod ad magis explicite significandum easdem materias limitaret. Ita se gessit Christus in constituendo Episcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, quorum materia est utique manuum impositio; sed ut hac determinaretur ad istam potius speciem Ordinis, quam ad aliam, permisit Ecclesia, ut posset signum aliud magis expressivum adjungere. Latina autem Ecclesia instrumentorum porrectionem adjunxit, per quam expressius significatur potestas Ordinato collata. Id illustrare nonnulli solent exemplo Sacramenti Matrimonii, cuius materia, semper contractui,

Ec.

Ecclesia quasdam addidit solemnitates, sine quibus antea erat; nunc vero non est sufficiens Sacramenti materia.

Objicies 2. Eugenius IV. in laudato Decreto de Ordinis materia differens, instrumentorum traditionem assignat, de manuum vero impositione ne verbum quidem appoait. Ergo haec in Latina saltem Ecclesia ad Ordinis materiam omnino non pertinet.

Resp. idcirco Eugenium de sola instrumentorum traditione fuisse locutum, quia Armenios docere voluit, non tantum impositionem manuum, quod jam illi sciebant, sed etiam instrumentorum traditionem in Ecclesia Latina ad Ordinis essentiam pertinere; sive, quod idem est, affirmare voluit Pontifex, porrectionem instrumentorum in Latina Ecclesia ad essentiam Ordinis spectare, cum ad id in Ecclesia Orientali dumtaxat spectet manuum impositio.

Objicies 3. Juxta Pontificale Romanum manus imponuntar in Ordinatione Presbyteri; primo videlicet, quem Episcopus utramque manum ponit super caput Ordinandi, nihil dicens; quod & faciunt post illum Sacerdotes omnes adstantes: secundo dum & Pontifex, & Sacerdotes simul dexteras super Ordinandos tenent extensas, Pontifex autem dicit orationem illam, *Oremus, fratres charissimi, C. tertio*, quando in fine Missæ impositis super Ordinatum ambabus manibus inquit Episcopus, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, C. Atqui prima manuum impositio esse non potest substantialis materia, cum nulli verborum formas jungatur, neque priscis seculis obtinuerit, neque modo in usu sit in*

Gra.

252 *De Theologicis Institutis*

Græca Ecclesia. Ultima etiam manuori impositio esse nequit materia substantialis , cum Presbyteri ante oblationem & consecrationem Eucharistiaꝝ sint ordinati . Oportet igitur , ut materia Presbyteratus apud Latinos in secunda impositione manuum statuatur . At oratio , quæ huic manuum impositioni conjungitur , apud Latinos rationem formæ non habet ; cum sit nuda divini auxilii pro proxima Ordinatione precatio ; quod facile tum ex ejusdem orationis lectione dignoscitur , tum ex subsequentibus rubricis , in quibus usquedum instrumenta tradantur , adstantes *Ordinandi* dicuntur ; porrectis autem instrumentis , & pronuntiata ea forma , *Accipe potestatem , &c.* ubique *Ordinati* vocantur . Sola ergo instrumentorum traditio est essentialis sacri Ordinis materia .

Resp. in Ordinatione Presbyteri duplicem conferri potestatem ; unam , eandemque præcipuam , supra corpus Christi verum , qua Eucharistiam confidere , & Sacrificium corporis , & sanguinis Domini potest offerre . Altera est potestas supra corpus Christi mysticum , qua potest a peccatis absolvare . Materia adæqua ta Ordinationis Presbyteri , quatenus potestatem primam confert , coalistere videtur in secunda manuum impositione , prout coadjuncta morali ter est cum instrumentorum porrectione , & cum forma verborum , *Accipe potestatem offerendi sacrificium , &c.* ita nimisrum , ut manuum impositio sit materia inchoans Ordinationem ; instrumentorum vero traditio , quibus juxta Pontificale Romanum character imprimatur , sit materia complens , verbisque perficiens Sacramentum .

Ma-

Materia autem Ordinationis Presbyteri, prout potestatem tribuit absolvendi, est ultima manuum impositio; forma vero sunt verba;
Accipe Spiritum Sanctum, &c. Unde consequitur, quod Ordinatio Presbyteri in Latina Ecclesia quasi duplici Sacramento perficitur; quorum primum significat, efficaciter gratiam, & characterem Presbyteri, ut Sacerdotis; secundum vero significat, & efficit gratiam, ac characterem Presbyteri, ut Judicis in foro interno: haec autem partialia Sacra menta perficiunt integrantque unum totale Ordinis Sacramentum.

Et sane quando Episcopus Sacerdoti manus imponens, inquit, *Accipe Spiritum Sanctum*, habetur signum visibile efficax gratiae, & distinctum ab eo, quo instrumenta tradens, ait, *Accipe potestatem, &c.* Hinc Syroodus Tridentina in sess. 23. can. 4. anathematæ ferit eos, qui dicunt, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, *Accipe Spiritum Sanctum*. Prætempa duæ illæ potestates consecrandi, & absolvendi, licet una supposat aliam, sunt valde diversæ, cum earum actus genere distinguantur: ergo neutra aliam ita complectitur, ut dum prior confertur, conferri & altera censeatur: ergo per distinctam formam & materiam conferuntur, distinctaque charactere subsistunt: proindeque ultima manuum impositio concurredit uti materia ad constituendum partialiter Presbyteralis Ordinis Sacramentum.

Quæ tandem diximus, Subtilis etiam Doctoris calculo roborantur; scribit enim ille in 4. d. 24. q. unica: *In Sacerdotio videatur proba.*

254 . De Theologicis Institutis

babile , quod ibi sunt due forme partiales , in
guarum altera confortur potestas conficiendi Eu-
ccharistiam ; in reliqua potestas absolvendi in pa-
nitentia : Et ipsis conjunguntur due materie ,
hoc est , duo signa visibilia propria ; forma pri-
ma traditio calicis , Et patena cum hostia : Ac-
cipe potestatem celebrandi , &c. secunda forma
impositio manus Episcopi super caput : Accipe
Spiritum Sanctum : ut sic Episcopus concorditer
agat summo Episcopo Christo , qui prius contulit
potestatem Apostolis conficiendi , quam absolvendi . Sribit insuper in 4. d. 19. q. unica : Quod
sicut sunt due potestates , ita duo characteres :
Et uterque imprimetur in signo proprio sensibili
significante illud invisibile : utpote primus in
datione calicis cum illis verbis , Accipe pot-
estatem celebrandi , &c. secundus in impositione
manuum , cum illis verbis , Accipe Spiritum
Sanctum , &c.

Denique cum in Diaconatus , & Episcopatu
s collatione non inveniantur duæ illæ tam
diversæ potestates , quæ in Presbyteratu relu-
cent ; idcirco non nisi unicum in eis charac-
terem admittimus , quem imprimi arbitramur
per manuum impositionem moraliter cum in-
strumentorum porrectione conjunctam .



CA-

C A P U T X.

Agit de ejusdem Sacramenti Ministro.

Quarto Ecclesiæ seculo Aerius ægre ferens, quod Episcopatum, quem anxie ambiebat, obtinere non posset, inter errores alios affirmavit, nullum Episcopos inter Presbyterosque versari discrimen, utrosque Ordine ac dignitate pares esse, ac tandem utrisque ordinandi munus ex æquo competere. Contra hunc errorem, quem posteriores aliis adoptarunt haeretici, sic

Propositio 1. Solus Episcopus iure divino est ordinarius hujus Sacramenti Minister.

Probatur ex Scripturis, quæ non alii, quam Apostolis, eorumque successoribus, Episcopis nempe, jus tribuunt ordinandi. Ita Act. 6. ordinarunt Apostoli septem Diaconos. Paulus & Barnabas Act. 14. per plures Ecclesiæ Presbyteros constituerunt. Item Paulus in 2. ad Tim. 1. v. 6. testatur eundem Timotheum per impositionem manuum suarum fuisse ordinatum: & in epist. 1. c. 4. v. 14. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii, ubi Presbyterii nomine Episcoporum coetum intelligit, uti exponunt fere omnes Interpretes, ac Græci præcipue. Denique idem Apostolus in 1. ad Tim. 3. & 5. & ad Tit. 1. eis

256 *De Theologicis Institutis*

eis tanquam Episcopis declarat , quosnam debent ordinare , monetque , ne cuiquam cito manus imponant, idest , non prius quam eorum vita , moresque probayerint .

Hanc præterea veritatem SS. Patres perpetuo tradiderunt . Hos inter Chrysostomus hom. 11. in epist. 1. ad Tim. de Episcopis ait : *Sola ordinatione superiores illi sunt , atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Idem afferit & Hieronymus in epist. ad Evangelium : *Quid facit Episcopus , excepta ordinatione , quod presbyter non faciat ?* Tandem Epiphanius hær. 56. Aerium confutans , hac inter alia scribit ; *Quinam vero fieri potest , ut is Presbyterum constituat , ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat ?*

Hujus insuper rei rationem proferens S. Bonaventura in 4. d. 25. p. 1. a. 1. q. 1. inquit : *Quia Ordo potestas est , sive in Ordine potestas traditur ; ideo ab eo debet tradi , qui potestatem habet , & in quantum habet potestatem . Posse autem gradus distribuere , & conferre non est cuiuslibet potestatis , sed ejus , qui in potentia supereminet , sicut patet etiam in regimine curie secularis ...*

Alia ratio est : *quia si passim omnibus effet concessum , tot admitterentur ad Ordines , quod non fueretur ordo , immo potius generaretur confusio :* & ideo dispositum est Dei consilio , quod solis Episcopis Ordinum dispensatio , & aliorum perfectorum , ut consecratio Abbatum , Monialium , & Ecclesiarum , & consimilium concedatur . Lege etiam S. Thomam in suppl. q. 38. a. 1.

Bene ergo recteque Synodus Tridentina in sess.

sess. 23. can. 7. taliter definit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, . . . anathema sit.* Hanc quoque doctrinam exposuerat in ejusdem sess.

Cap. 4.

Objicies. Presbyter ordinario jure potest corpus Domini consecrare; ad quod, uti ad maius ac principale, Ordo refertur: ergo multo magis potest ad munus consecrandi aliquem ordinare.

Deinde Presbyteri una cum Episcopo manus illis imponunt, qui ad Presbyteratus Ordinem affumuntur: ergo ordinandi potestas non minus Presbyteris competit, quam Episcopis.

Resp. ad 1. cum S. Thoma in loco citato ad 4. quod *quamvis Sacramentum Eucharistiae sit maximum Sacramentum in se, tamen non collocat in aliquo officio, sicut Ordinis Sacramentum.* Collocare autem in officio ad eum spectat, qui habet eminentiam dignitatis, ut ait S. Bonaventura. Denique Spiritus Sanctus, prout voluit, singulis sua dona divisit: illudque effatum, *Qui potest maius, potest & minus, tunc valet, quem maius includit illud minus, ut ferre duos modios includit unum: non sic est in proposito:* inquit idem Seraph. Doctor in loco citato.

Ad alterum. Ritus, quo in ordinatione Presbyteri una cum Episcopo Presbyteri alii manus imponunt, est pura ceremonia non pertinens ad ordinationis essentiam, sed demonstrans consensum, societatemque initam cum Presbytero recens electo. Hinc Presbyteri qui

Tom. XII.

R

in

258 *De Theologicis Institutionibus*

in ordinatione manus imponant, formam non proferunt: ergo ordinatio Ministri esse dictio que non possunt.

Propositio 2. Simplex Sacerdos ex Romani Pontificis dispensatione potest esse extraordinarius quorumdam Ordinum Minister.

Et i. quod minores Ordines possint a simplici Presbytero ex Romani Pontificis commissione conferri, ex praxi ubique recepta, evidenter ostenditur. Nam Cardinales non Episcopi in propriis Ecclesiis minores Ordines subditis suis conferunt ex consuetudine a Summo Pontifice approbata. Quo etiam privilegio fruuntur Abbates, dummodo Presbyteri sint, & ab Episcopo juxta morem Abbatum preficendorum fuerint benedicti, prout can. 14. anno 787. declaravit Nicæaa II. sive VII. Synodus Ecumenica. Eundem canonem laudavit, confirmavitque iisdem conditionibus Innocentius III. in rescripto ad Rothomagensem Archiepiscopum, quod extat in i. Decretal. tit. 14. cap. Cum contingat. Ac postremo Tridentina Synodus sess. 23. de Reform. cap. 10. privilegium illud Abbatum supponit, districte prohibens, ne in posterum Abbates ipsi, aut alii quomodolibet cuiquam, qui non sit regularis, sibi subditus, Tonsuram, vel minores Ordines conferant.

Certum est insuper ex eadem concessione, posse Subdiaconatum a simplici Sacerdote conferri. Nam Gelasius I. in epist. 5. ad Episcopos Lucaniz c. 6. monet Chorepiscopos, ut rememinerint, nulla sibi ratione concedi, sine Summo Pontifice, Subdiaconum, aut Acolythum jus habere faciendi: accedente igitur ea permis.

missione fas esset Presbytero conferre Subdiaconatum ; quod etiam colligitur ex Meldenio Concilio anno 845. can. 44.

Sed dices. Subdiaconatus , & minores quoque Ordines juxta opinionem nostram vera sunt Sacraentia ; ergo si Sacramentum Ordinis est conferendum ab iis , qui per characterem Episcopatus potestatem acquirunt , neque Subdiaconatus , neque minores Ordines conferri possunt a simplici Sacerdote , quacunque etiam supposita facultate .

Resp. non repugnare , quod aliquis per characterem Episcopalem constituantur hujus Sacramenti ordinarius Minister ; similique per characterem Presbyteratus quandam habeat aptitudinem , per quam , accedente Sedis Apostolicæ privilegio , valeat ordinare ; ea ferme ratione , qua alibi diximus posse Presbyterum ex Romani Pontificis delegatione confirmare , & christea confidere ; quamquam ad potestatem Ordinis Episcopalis ordinario id iure pertineat .

Nonnulli insuper arbitrantur , quod possit Ponitex collationem etiam Diaconatus simpli- ci Sacerdoti committere ; idque concessum as- setunt ab Innocentio VIII. anno 1489. Joanni Abbatu Cisterciis Cabiliensis , & Abbatu quatuor Monasteriorum , que post , Cr inmediate per dictum Monasterium fundata erant . Itud vero privilegium germanum esse prolixè solideque demonstrat Cl. P. Berti in lib. 36. c. 23. §. 4. ubi consimile privilegium FF. Minoribus in India concessum ex plurium Scriptorum testimonio narrat .

Quod autem ad Presbyteratum pertinet , communior omnium sive Theologorum sen-
R 2 ten-

260 *De Theologicis Instituēis*

tentia docet , non posse collationem ejus a Roma. Pontifice simplici Presbytero delegari : Cujus rei hanc rationem passim adducunt , quod neque ex Scripturis , neque ex Concilis , neque ex Patribus , neque ex Ecclesiastica histeria momentum ullum proferri possit , quo a simplici Presbytero Presbyteros alios ordinatores fuisse probetur . Neque obest , quod aliquando Chorepiscopi Presbyteros ordinaverint , ut colligatur ex canone 10. Antiocheni Concilii ; nam Canon ille non de Chorepiscopis omnibus loquitur , sed de iis , qui ut *Episcopi conserrati erant* . Demonstrarunt enim Hallier , De Marca , Morinus , aliique plures doctissimi Viri , nonnullos ex Chorepiscopis Episcopali consecratione fuisse insignitos .

Manifestum denique est , Episcopatum a so- lis Episcopis posse conferri . Ratio enim , quam nuper de Presbyteratu testigimus , a fortiori ter- net , dum de Episcopatu differitur . Theologi etiam illi , & Canonistæ nonnulli , qui docent posse Presbyteros conferre Ordines , etiam sa- ceros , ea utuntur ratione , quod *Papa delegante Ordinatus possit conferre Ordinem , quem habet* , ut inquit *Glossa in caput , Manus quoque , de Consecrat.* dist. 5. & in cap. *Pervenit* , dist. 95. quare in istorum quoque sententia , qui Episcopatu careant , illum conferre non possunt .

Hic insuper notandum est ad consecrationem Episcopi requiri , ut tres , aut duo saltēm inter sint Episcopi . Id demonstratur ex innume- ris Conciliorum canonibus ; imo horum aliqui septem , aliqui duodecim Episcopos , aliqui etiam conventum omnium provinciæ Episco- porum ad solemniorē Electorum inaugura-
tio-

tionem videntur exigere. In Romana tamen Ecclesia ex antiquo more tres Episcopi Electum ordinant. Hæc enim praxis tam altas tertio seculo radices egerat, ut referente Cornelio in epist. ad Fabium apud Eusebium lib. 6. H. E. c. 43. Novatus Episcopatum rapere cupiens, tres Episcopos Romam advocaverit, ut ab iis temulentis inani manuum impositione crearetur Episcopus.

Putarunt aliqui plurium Episcoporum presentiam ad ordinationem Electi non solum requiri, ut Ordinatio sit legitima, & canonica, verum etiam ut illa sit valida. At alii oppositi sentiunt, momentis innixi minime contentnendis, quæ legere Candidati poterunt apud Bertii, Gotti, aliosque Theologos post S. Bonaventuram in 4. d. 25. p. 1. 2. 1. q. 1.

Postremo ex Tridentino Concilio in sess. 23. de reformat. c. 8. notamus, unumquemque a proprio Episcopo ordinandum esse: Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat; Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum execuzione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

C A P U T . XI.

Quod ab Episcopis hæreticis, vel schismaticis, vel criminis quolibet polluti valide Ordines conferantur.

Icet ex dictis in lib. 24. c. 12. & in lib. 25. c. 7. liquido concludatur, quod Episcopi hæresi, schismate, aut scelere quocunque polluti valide ordinantur, si cum debita intentione legitimam materiam, de formam adhibeant: hac tamen de re paulo neac prolixius, distinguiusque tractandum est.

Quatuor olim circa questionem istam opiniones fuisse, quas post Magistrum in 4. d. 25. enumerat S. Thomas in suppl. q. 38. a. 2. Qui-
dam enim dixerunt, quod hæretici, quamvis ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem Ordines conferendi, non autem postquam fuerint ab Ecclesia praecisi, similiter nec degradati, &c. alii
bipunctum. Alii dixerunt, quod praecisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia Episcopalem potestatem habuerunt, retinent potestatem alias ordinandi, & promovendi, sed promoti ab eis hoc non ha-
bent. Alii dixerunt, quod etiam praecisi ab Ecclesia possunt Ordines conferre, & alia Sacra-
menta, dummodo formam debitam, & intentio-
nem servent, & quantum ad primum effectum,
qui est collatio Sacramentis, & quantum ad ul-

timum, qui est tollatio gratiae... Alii dicunt, quod vera Sacra menta conferunt, sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacra menta contra probationem Ecclesie.

Hanc postremam opinionem, quam rejectis tribus aliis veram esse affirmat Doctor Angelicus, cui consonat Doctor quoque Seraphicus in 4. d. 25. p. 1. a. 1. q. 2., secuti sunt postea omnes Scholas Theologi, si unus, vel alter excipitur, & hac nostra aetate nemo unus ab ea dissentit.

Propositio. Episcopi haeretici, aut schismati ci, aut quotunque scelere infecti, aut censura qualiter annedati valide Ordines admini strant.

Probatur. Prædicti Episcopi haudquaquam amittunt potestatem, quam in Ordinatione ac ceperunt: haec enim vel est ipse character Episcopalis, vel inseparabiliter cum illo conjungi tor: ergo sicut haeresis, schisma, crimen quod libet, & censura potestatem consecrandi non adimit, ita neque potestatem ordinandi: ergo si cum debita intentione Episcopi haereti ci, schismati ci, &c. præscriptam materiam, formamque adhibuerint, valide ordinabunt: etiam si ab Ecclesia fuerint præcisi, aut a præcisis ipsi fuerint promoti. Lege S. Thomam, & S. Bonaventuram in locis supra citatis.

Idem quoque probatur ex innumeris Ecclesie definitionibus, quibus Reordinationes fieri omnino prohibitum est. Ita Carthaginensis III. Synodus anno 397. can. 38. decretivit: Non licet fieri Rebaptizationes, & Reordinationes, quod etiam in Capueni plenaria Synodo videsur

264 *De Theologicis Institutis*

statutum. Hæc est Capuana Synodus sub Séricio celebrata anno 389. Idem denique statutum est a Florentino Concilio in Decreto unionis, & a Tridentino in sess. 7. can. 9. & in sess. 23. can. 4.

Augustini præterea auctoritate thesis ista firmitatur. Ille enim tam de Baptismo, quam de Ordine scribit in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. In *Catolica utrumque non licet iterari*: & in lib. 1. de Bapt. c. 1. *Sicut baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi baptismi non amittit.* &c. Legendi sunt etiam Hieronymus in dialogo contra Lucifer. Gregorius lib. 2. epist. 46. aliisque Patres.

Perpetuus denique Ecclesiæ consensus validas ostendit præfatorum Episcoporum ordinationes Ephesina enim Synodus in Decreto, quod consequitur sextum canonem, recipiendos esse fancivit Messalianos hæreticos, ea conditione, ut si Clerici fuerint, maneat Clerici; si faiici ad communionem admittantur. In Sedes quoque suas Tolestanæ I. Synodus anno 400. restituit Symphosium, Dicitur, & Anterium Episcopos, posteaquam Priscillianistatum hæresim ejurauunt. Item in VII. Generali Synodo anno 787. act. 1. lecli fuerunt Canon viii. primæ Nicænæ Synodi, diversæ S. Basilii, S. Cyrilii Alexandrini, & S. Athanasii epistolæ, necnon Ephesinæ Synodi Canones, quibus definitur solos hærescon principes perpetuo ab Ecclesiasticis honoribus esse dejiciendos, reliquos vero ad Ecclesiam redeuntes recipiendos in pristinum clericalem gradum: atque ita recepti fuc-

fuerunt Iconoclastæ. Denique tertio seculo Cornelius Papa Novatianorum ordinationes, & seculo quarto Melchiades Donatistarum ordinationes minime repetendas esse apertissime declararunt.

Objicies i. Innocentius I. in epist. 18. de Arianis ait : *Quibus solam baptismam ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti perficitur, nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo baptisme, illico mysteriis arbitramur, quoniam cum a catholicâ fide eorum autores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt, nec dare ejus plenitudinem possunt, quam maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietas suæ perfidiam perdidérunt.* Ergo etsi hæreticorum baptismata ratum validumque dicendum sit, nullæ tamen irritaque sunt eorundem Ordinationes.

Resp. quod licet hæc duo vocabula, *ratum*, & *validum* sèpenumero promiscue usurpentur; *ratum* tamen illud dicitur, quod comprobatur, omnemque consequi potest effectum. Cum itaque hæreticorum baptismata, quamvis informe, sive gratia spoliatum, ad hujus consecrationem per poenitentiam reparetur, recte illud Innocentius *ratum* esse pronunciat. At quoniam ordinati ab Arianis Episcopis, juxta vigentem Innocentii tempore disciplinata, quamvis hæretim detestarentur, non tamen admittebantur ad honorem, & ministerium Ordinis Ecclesiastici, sed dumtaxat communione laica donabantur; idcirco idem S. Pontifex Arianorum Ordinationes haudquam ratas affirmat. Et quidem hoc unum Alexander Antiochenus Episco-

286 De Theologicis Infirmis

scopus petierat ab Innocentio , an ordinati ab Arianis essent in suo honore , & gradu suscipiendi : cui Innocentius respondens , allata baptismatis , & ordinis dispensantia , recipiendos non esse cum Sacerdotii , aut ministerii cuiuspiam dignitate , nec Episcopum Arianum constituisse Clericis suis ius ministerii , & plenitudinem Spiritus Sancti , quam ipse per impietatis sua perfidiam omisit , demonstrat se de hoc jure , & de hac plenitudine loqui , non de Ordinis charactere .

Objecies 2. Plus est aliquem ad Ordinem promovere , quam absolvere , vel ligare : atque hereticas praefatas ab Ecclesia neminem potest absolvere , vel ligare : ergo neminem potest ad factos Ordines proinovere .

Accedit , quod inferior potestas operari nisi potest , nisi cum superiori potestate jungatur : potestatis autem plenitudo est in Summo Pontifice , a quo heretici , & schismatici disjunguntur .

Resp. cum S. Bonaventura in citato loco ;
» quod potestas quadruplex reperitur in Ministeriis Ecclesiae . Quædam namque est fundata super ordinem principaliter , ut potestas consuetudinaria principaliter , ut potestas excommunicandi . Quædam super jurisdictionem eandem , ut potestas ordinandi . Quædam super ordinem , & jurisdictionem , ut potestas absolvendi , & ligandi in foro poenitentiali . Et quoniam character auserti non potest : ideo potestas , quæ consequitur characterem , de facto auserti non potest . Sed quoniam jurisdictione descendit ordinata a superiori ad inferioris ,

„ gius, ita quod plenitudo est in Summo Po-
„ tifice: ideo potest auferre eam, & potesta-
„ tem, que consequitur ipsam. Unde potest
„ excommunicando auferre potestatem absolven-
„ di, & excommunicandi, sed non ordinandi.
„ Et per hoc patet responsio ad multa, &
„ ad sequens etiam. Quod enim obicitur,
„ quod in Summo Pontifice est plenitudo po-
„ testatis, verum est secundum quod potestas
„ consequitur iurisdictionem, que maxima, &
„ in termino est in eo; sed non in quantum
„ sequitur characterem, quia ille immediate a
„ Deo imprimitur, & est in omnibus aequalis:
„ tamen executio omnis potestatis debet fieri
„ secundum ejus regimen: & ideo si ipse pro-
„ hibeat, non potest talis potestas licite exire
„ in actum; tamen quia ab ipso non depen-
„ det secundum rem de facto, facit sicut &
„ alius.

Objicies 2. Quandoque contingit, ut Ordina-
„ nati non tantum suspendantur, & deponan-
„ tur propter criminia, verut̄ etiam degraden-
„ tar. Degradatio autem significat ipsam gra-
„ dus, sive Ordinis ablacionem. Unde Glossa
„ Decreti super cap. Accedens dist. 50. dicit
„ Presbyterum degradatum non confidere Cor-
„ pus Domini ep̄, quod potestatem omnem ami-
„ serit. Quod & alii multi sentiunt, teste Sil-
„ vestro in sua Summa.

Resp. non unquam Ecclesiastica severitate E-
„ piscopos, vel Presbyteros propter gravissima
„ quædam crimina degradari; non quod ab iis
„ Ordinis potestas auferatur, own id fieri omni-
„ no non possit; sed quia eis gradus, idest ho-
„ nor, dignitas, & locus Ordini congruens de-
„ nec.

268 *De Theologicis Institutis*

negetur. Nihilo tamen minus inter suspensionem, depositionem, & degradationem, tametū vicinas inter censuras, discrimen habetur; quia per suspensionem & depositionem non honor aut locus Ordini debitus admittitur, quod in degradatione contingit, sed tantum ministerii executio inhibetur; idque vel cum spe restitutio[n]is, quod qui patiuntur, proprie suspensi vocantur; vel omni spe restitutio[n]is oblata, quod in depositione contingit. Hac de re plenius agit Silvester in Summa verbo, *Degradatio*; qui etiam allegatam Glossam, aliosque ei assentientes expludit.

Objicies 4. complura exempla ex Ecclesiasticis historiis petita, quibus Joannes Morinus in p. 3. de Sacris Ordinationibus Exercitatione 5. cc. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. demonstrare conatur, quā irritas, & iteratas fuisse Ordinationes factas ab hæreticis, schismaticis, simoniacis, suspensis, degradatis aut excommunicatis Episcopis. Verum cum præfinita nobis brevitas hac de re prolixius disputare non sisat, Candidatos nostros ad Tournely, Berti, aliorumque Theologorum ubi ejera scripta remittimus.



CA-

C A P U T . XII.

Ubi de Ordinationis subjecto differitur.

DE iis, qui ad sacros Ordines promovendi sunt, vel ab iisdem sunt arcendi, sermonem instituentes, primum illud inquirimus, an mulieres suscipere queant Ordinis Sacramentum?

Resp. negative. Ut enim inquit Paulus in *i. ad Cor. c. 14. v. 34. Mulieres in Ecclesiis raseant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent: rurpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et in *i. ad Tim. c. 2. v. 12. Docere autem mulieri non: permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Si ergo mulieribus neque docere, neque loqui in Ecclesia permitte Apollonus, quia id turpe esset; multo minus eisdem permittit, ut sacra Ordinatione potestatem accipiant, qua non solum in Ecclesia loquantur, & doceant, verum etiam populo publice divina tradant, sacrificium ad altare offerant, vel proxime offerenti assistant, solemniter baptizent, a peccatis absolvant: &c.

Hinc Patres omnes uti hereticos habuerunt, qui ad sacros Ordines, ipsumque Sacerdotium mulieres admittebant. Hujusmodi fuere Gnostici, Cataphrygæ, Pepuziani, & Collyridiani,

270 *De Theologicis Insistens.*

ni, contra quos acuere stylum Tertullianus, Augustinus, aliquie, ac præsertim Epiphanius, qui in hær. 79. n. 3. ex eo etiam urget Collyridianos, quod a Mūndo condito ad hæc usque tempora, apud veræ religionis cultores nunquam mulier ulla sacrificasse legatur; quodque si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam in Ecclesia præstare liceret, nulli potius, quam Mariae, illud in novo Testamento committi Sacerdotis officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio, finique suo Regem omnium, as caelestem Deum, Deique Filium exciperet. . . . Verum longe Deo aliter visum est; ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta; cum alioqui singuli ab illa Christus potius, quam ab Joanne, posuisset. Lege S. Thomam in suppl. q. 39. a. t. S. Bonaventuram in 4. d. 25. p. 1. a. 2. q. 1.

Dices 1. In Veterum scriptis frequens mentio sit Subdiaconiarum, Diaconiarum, Presbyterarum, & Episcoparum. Ergo sacri quondam Ordines mulieribus fuere collati. Et ad Diaconissas præsertim quod attinet, certum est in Pontificali, & Euchologio Græcorum haberi ritum earundem Ordinationis, in qua non tantum illis caput inclinantibus Episcopus manum imponit, orationemque fundit gratiam appræcando, verum etiam circumponit ipsorum collo stolam diaconalem.

Resp. Episcopas, Presbyteras, &c. olim appellatas fuisse mulieres, eo quod illarum viri ad Episcopatus, Presbyteratus, &c. Ordines assumebant, easque relinquebant, aut in seculo castitatis voto obstrictas, aut in Monasteriis.

stensis Religionem solemniter profidentes. Hoc in sensu hujusmodi nomina usurpata leguntur in Concilio Turoensi II. anno 567. can. 32. & 19. in Antisiodorensi anno 578. can. 21. & 22. in Romano anno 721. cap. 1. & 2. & alibi sape.

Diaconissæ dictræ sunt etiam quædam iugantes pietate mulieres, quæ obibant munia descendit, ac denudandi feminas baptizandas. Illarum autem Ordinatio non fuit sacramentalis: tunc enim manus impositio est ritus Sacramenti Ordinis, si adhibetur ad conferendam Ecclesiastici ministerii potestatem: uti vero scribit Epiphanius in citata hæresi 79. n. 3. *Quamquam Diaconissarum Ordo est in Ecclesia, non ratiōnen ad Sacerdotii functionem, aut utlitas ejusmodi administrationem institutus est: sed ut mulieribus sexus honestati consulatur: sive ut baptismi tempore adsit: sive ut inspiciat se quid passificat, aut molestia persecuterit: sive ne cum nuditate dum est mulieris corpus, interveniat: ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit expossa: sed a sola Diaconissa videatur: qua Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exsurgit.*

Dices 2. Abbatissæ Monialibus præfunt: ergo potest eis committi potestas absolvendi, & ligandi; proindeque & Sacerdotialis Ordo conferri.

Resp. cum S. Bonaventura in quest. citata, quod Abbatissæ non habent locum prælationis ordinariae; sed quasi loco Abbatis sunt substituta, propter periculum cobabitandi cum viris: unde non possunt ordinarie absolvere, nec ligare: officium autem Sacerdotiale, vel etiam cuiuslibet

272 *De Theologicis Institutis
lives Ordinis, cuī datur ordinatio, eidem datur
etiam potestas ista.*

Postremo si dixeris, *Judicium cap. 4. legi*, quod Debora judicaverit Israel, eique præfuerit; respondebimus ex eodem S. Doctore, quod illa fuit potestas temporalis, non spiritualis. *Mulieribus autem bene licet temporaliter domi-
nari, sed non spirituali dominio.* Notat præ-
terea Philosophus lib. 1. *Politic.* corruptelam
esse Republica, ut principatus, regnique ad-
ministratio feminis committatur: at Ecclesia
est Christi regnum terreno Regno præstantius;
proindeque oportuit, ut sexus muliebris ab
eius regimine simpliciter esset exclusus.

Quærimus 2. an valide ordinari possit, qui
non adhuc Baptisma recepit?

Resp. minime. Nam ut etiam in lib. 26.
c. 5. diximus, Baptismus est janua omnium
Sacramentorum, ejusque charactere aliorum fun-
damentum est; neque potest quis Ecclesie i-
ribus, ministeriis, & facultatibus frui, nisi
prius illius corpori sit insertus. Hinc Nicæna
Synaodus can. 19. de Clericis Paulianistarum
baptizatis absque SS. Trinitatis invocatione,
inquit, *Rebaptizati ordinantur, quoniam irrito
baptismate irritæ quoque sunt Ordinationes.*
Exstat præterea 3. Decretal. tit. 43. antiquissi-
mus canon iste: *Si quis Presbyter ordinatus
deprebenderit se non esse baptizatum, baptize-
tur, & iterum ordinetur.* Similia Innocentius
III. cap. *Veniens*, eodem titulo. Lege tandem
S. Thomam in suppl. q. 35. a. 3.

Sed contra dices. *Contingere potest, quod
aliquis non baptizatus se baptizatum existi-
met;* Si ergo ille ad sacram Ordinationem ac-
ce-

cedat , hujus Sacramenti characterem minime consequetur (posita veritate sententia quam tuemur) ; proindeque , dum consecrabit , vel absolvet , nihil efficiet , imo in his decipietur Ecclesia , quod itamane quantum absurdum est .

Resp. cum S. Thoma in citato loco ad 2.
,, quod talis si ad Sacerdotium promoveatur ,
,, non est Sacerdos , nec confidere potest , nec
,, absolvere in foro poenitentiali , Unde secun-
,, dum Canones debet iterato baptizari , &
,, ordinari , Et si etiam in Episcopum promov-
,, eatur , illi quos ordinat non habent Ordin-
,, nem ; sed tamen sic credi potest , quod
,, quantum ad ultimos effectus Sacramentorum ,
,, Summus Sacerdos suppleret defectum , &
,, quod non permitteret hoc ita latere , quod
,, Ecclesiaz posset periculum imminere .

Quæritur 3. an pueri ante rationis usum va-
lide possint Ordines suscipere ?

Resp. affirmative , Dicendum , scribit has de-
re S. Thomas in suppl. q. 39. a. 2. , quod per
pueritiam , & alios defectus , quibus tollitur
usus rationis , præstatur impedimentum actui ;
& ideo omnia illa Sacramenta , que actum re-
quirunt suscipientis Sacramentum , talibus non
competunt , sicut pœnitentia , matrimonium , &
hujusmodi . Sed quia potestates infuse sunt priores
talibus , sicut & naturales , quamvis acquisite
sint posteriores : remoto autem posteriori non tol-
litur prius : ideo omnia Sacramenta , in quibus
non requiritur actus suscipientis de necessitate
Sacramenti , sed potestas aliqua spiritualis divi-
nitus datur , possunt pueri suscipere , & alii qui
usu rationis carent . Et sane , ut ibidem ait

Tom. XII.

S

S. Do-

274 De Theologicis Institutis

S. Doctor, alia Sacra menta, in quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, videlicet Baptismum, & Confirmationem: ergo pars ratione Ordines. Hanc etiam rationem ad idem probandum exhibet S. Bonaventura in loco superiori laudato q. 2.

Dicitis accedit, quod in cap. *Tue nobis*, De Clerico per saltum promoto, jubetur ad Diaconatum promoveri, qui hoc ordine prætermisso ordinatus fuerat Sacerdos; non tamen iteratis ordinibus inferioribus, quos *infra annos discretionis suscepere*at. Hi ergo ordines valide primis pueritiae annis fuerant collati.

At contra communem istam Theologorum opinionem Durandus, & Tournely quædam opponunt, ac illud primo: Non potest infans in Episcopum consecrari; uti etiam SS. Thomas, & Bonaventura concedunt: ergo neque ad Ordines alios promoveri. 2. Ad Sacra menta suscipienda requiritur intentio aut propria, aut interpretativa, quorum neutra in puerulis invenitur: parentum namque voluntas dici potest voluntas interpretativa parvolorum in iis tantum, quæ sunt de necessitate salutis, cuiusmodi est Baptismus. 3. Ordinibus sacris adnexa est lex continentiae, ad quam nemo auctoritatis usum potest adstringi.

Resp. ad 1. in Episcopatu distinguendum esse characterem a Pastorali cura; infantes igitur Episcopalem characterem suscipere possunt ob rationem superiori indicatam; et si suscipere nequeant curam Pastoralem, neque contrahe re cum Ecclesia spirituale conjugium, ad quod utique necessarius est præcedens actus voluntatis. Atque ita exponenda videtur SS. Thomas, & Bonaventuræ sententia,

Ad

Ad 2. Constat tum ex adducta paulo supra S. Thomæ doctrina , tum ex dictis in lib. 24. c. 13. ad susceptionem characteris requiri sufficientis intentionem non in paevulo , sed in adulto dumtaxat . Neque verum est , quod de interpretativa intentione inquit Durandus ; nam Sacramentum Confirmationis non est de necessitate salutis , & nihilominus possent laetentes pueri ab Episcopis consignari .

Ad 3. Fatemur , quod etsi baptizati in infantia teneantur ut adolescentes servare Christianam legem ; ordinati tamen in infantia , Clericorum legibus minime subderentur . Verum discrimen istud ex eo oritur , quod unusquisque ad rationis usum perveniens consulere propriæ saluti tenetur , ideoque baptizari , Christo nomen dare , & Evangelicam legem amplecti , cuius observantia ipsam Baptismi susceptionem naturaliter consecatur ; non vero tenetur tandem in Clericum , ordinari , & agere cœlibatum , cuius observatio ex positiva solum lege Ordinibus sacris adnectitur .

Opponit denique Tournely , nullam in universa Traditione exemplum occurrere ordinationis infantium : verum oppositum infertur ex citato cap. *Tuæ nobis* . Refert etiam Cyrillus Scythopolitanus in Vita Euthymii Abbatis , hunc triennem baptizatum fuisse , tonsuram in Clericum , ordinacumque Lectorem . Et in libro Pontificali de Eugenio I. ad Petri sedem electio anno 652. legitur fuisse Clericum & canabulis .

Tandem advertimus , quod quamvis valeant Ordines in quacunque ætate collati , ut tamen sacri Ordines licite conferantur , Ecclesiastice

276 *De Theologicis Institutis*

leges certam maturamque requirunt aetatem : Et olim varia quidem fuit hujusce rei praxis , novissime vero Synodus Tridentina sess. 23. c. 12. de Reform. hanc regulam statuit observandam : *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum , ad Diaconatus ante vigesimum tertium , ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis sue annum promoveatur.* Rursum licet nec antiquo , nec novo jure certa aliqua aetas pro suscipiendis minoribus Ordinibus prescribatur , sicut nec pro prima tonsura ; cum tamen Tridentina Synodus sess. 23. c. 4. de Reform. vetet , ne prima tonsura initientur , qui fidei rudimenta edociti non fuerint , & qui legere , & scribere ne- sciant , & c. 11. requirat , ut minoribus Ordinibus initiandi latinam linguam saltem intelligant ; idcirco implicite prohibuisse videtur , ne quis ad minores Ordines , & ad primam quo- que tonsuram ante discretionis annos promo- veatur . Denique in Pontif. Rom. hac de re legitur : *Prima tonsura , & minores Ordines an- te septimum annum dari non debent .*

Quare hic insuper solet , an valide confe- rantur Ordines homini invito penitus ac relu- etanti ; verum quas in lib. 24. c. 13. dixi- mus , hue revocanda monemus . Alia vero ad caput istud spectantia te docebunt Gotti , Tour- nely , Berti , ceterique Theologi copiosius disputantes , necnon Catechismus Rom. in p. 2. c. 7.

CA-

C A P U T XIII.

*De Ordinationis effectibus, & de
nonnullis ritibus, quibus illa
peragitur.*

DUplicem esse facræ Ordinationis effectum, gratiam scilicet, & characterem, non enim unus ignorat; extatque Tridentinæ Synodi canon 4. in fess. 23. hoc fidei dogma definitus. De utroque effectu supra nos egimus in lib. 24. cc. 14. & sequent. necnon in hoc ipso libro eccl. præsertim 1. & 11. Notamus hic insuper quæ habet Catechismus Rom. in p. 2. c. 7. n. 34. ubi de sacramentali hac gratia loquitur: *Quanvis Ordinis Sacramentum maxime ad Ecclesiæ utilitatem, & pulchritudinem spectat; tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficit, quia idoneus, babilisque ad recte munere suo fungendum, Sacramentaque administranda reddatur, quemadmodum etiam baptismi gratia quilibet ad alia Sacraenta percipienda aptus efficitur.*

De charactere ibidem etiam hæc adduntur: *Aliam quoque gratiam hoc Sacramento tribui perspicuum est, præcipuam videlicet potestarem, quæ ad SS. Eucaristia Sacramentum referuntur, in Sacerdote quidem plenam, & perfectam, ut qui Domini nostri Corpus, & Sanguinem unus*

278 De Theologicis Institutis.

potest confidere; in aliis vero inferiorum ordinum ministris majorem, minoremque, qua quisque ministerio suo magis, minusve ad altaris Sacra-menta accedit. Atque hæc potestas etiam chara-cter spiritualis dicitur, iquo' iqui sacris imbuti sunt, interiori quadam nota animæ impressa ab aliis fidelibus distinguantur, ac divino cultus manifestentur. Et hæc quidem pro prima capi-tis parte sufficiens.

Quod vero ad ritus attinet, eorum aliquot retulimus, dum de singulis Ordinibus paulo superius hoc in libro tractavimus; quosdam tamen alios nunc breviter attingemus. Primo itaque ex antiqua traditione notamus non posse Sacros Ordines quolibet tempore, vel loco conferri; sed uti recte iubet Tridentina Synodus sess. 23. de Reform. c. 8. Ordinatio-nes sacrorum Ordinum status & iure temporio-bus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis presen-tibusque ad id Ecclesiæ Canonice publice celo-brerintur. Si autem ipso alio Diocesis loco, præ-sente Clergo loci, dignior, quantum fieri posse-rit, Ecclesia semper audeatur. De his legi par-serunt Pontificale Romanaum tit. de Ordinibus conferendis, & cap. De eo autem, & alia in- t. Decretal. tit. ii. neccnon Berti, Jugini, aliisque.

Servanda sunt insuper temporum interstitia in Ordinum susceptione: semper enim sollicita fuit Ecclesia, ne quis de uno ad alium Or-dinem illico promoveretur. Quare Leo M. in fine epist. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum ait: Qui Sacerdos, et Leuita or-dinandus est, per omnes clericalis officii ordines provebatur, ut diuturno disfugere tempore, ejus

& do-

C. doctor ipse futurus est. Lege Synodum Tridentinam less. 23. de Reform. cc. 14. & 13.

Quod præterea ad Clericorum vites attinet, etiæ Cl. Viri de illis plura conscripserunt, nobis autem satis est paucis adnotare 1. candidum superpellicium, quo Tombarati, & ad maiores Ordines promoti uenuntur, denotare, quod ipsi sine labore & immunditia vitam agere tenentur. Olim superpellicium ad instar albas talare erat & laxum.

Subdiaconus præter albam præcinctam cingulo, quo carnis repressio denotatur, utitur amictu humeros tegente, quo significatur fortitudo ad divina officia exequenda, quibus mancipatur. Habet ulterius manipulum in sutoria, quod designat ministarum macularum extorsionem. Habet præterea tunicam strictam, quæ doctrinam Christi significat: ad hanc enim associandam Subdiaconus primum admittetur. Tempore tamen S. Gregorii Magni, soli indui alba Subdiaconi ministrabant.

Deaconus in sinistro humero stolam desert, in signum quod ad Sacraenta ministranda vocatur: & non tunicellam, sed Dalmaticam induit, largam nempe vestem, quæ significat ipsum primo ad dispensanda Sacraenta constitui; largitas enim in dispensatione requiritur.

Sacerdos vero stolam in utroque humero gestat, ut ostendatur, plenam et potestatem dispensandi Sacraenta confiri, non ut alterius ministri &c. idcirco stola usque ad inferiorem antiquitus descendebat. Gerit & casulam, quæ denotat chvitatem, quia ipse conficit Eucharistiam, charitatemq[ue] illicet Sacramentum.

Epit.

480 *De Theologicis Insigniis*

Episcopis adtem conceduntur novem ornamenti supra simplices Sacerdotes, caligas nempe, sandalia, succinctorium, tunicam, dalmaticam, mitram, chirothecas, baculum, & annulum; quia novem sunt quae ipsis specialiter competunt, nimisrum ordinare Clericos, benedicere Virgines, Pontifices consecrare, manus imponere, dedicare Basilicas, deponere Clericos, celebasse Synodos, christina confidere, vestes vasaque consecrare.

Præterea per caligas rectitudo gressuum designatur: per sandalia, quæ pedes tegunt, terrenorum contemptus: per succinctorium, quo scola cum alba ligatur, amor honestatis: per tunicam, perseverantia: per dalmaticam, largitas in operibus misericordia: per chirothecas, manuum operamque custodia: per bisidam mitram, veriusque Testamenti scientia: per baculum, cura pastoralis, qua colligere debent vagos, idque pars curva significat; & sustentare infirmos, quod ipse baculi stipes signat; & pungere lertos, quod stimulus in baculi pede demonstrat. Hinc antiquus ille versiculos:

Collige, suscita, stimula, vaga, morbi da, lenta.

Et aliis versus:

Attende per curvum, medio rege, punge per imum.

Per annulum designantur Sacra menta fidei, qua Christo despontatur Ecclesia: Episcopum in Ecclesia Christi vice funguntur. Tandem Archiepiscopi ornantur etiam pallio, quod de Caspore S. Petri sumitur, denotatque plenitudinem Pontificabilis officii, uti legitur in Pontificali Romano. Lege Doctorum Angel. in suppl. q. 48. a. 7. Po-

Postremo notamus, apud Latinos Presbyteris utramque manum sacro Catechumenorum oleo, Episcopis vero manus & caput chrismate inungit; quæ tamen unctionis minime spectat ad Sacramenti substantiam. In unctione, inquit S. Bonaventura in 4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 4. non imprimatur character: sed tantum fit propter solemnitatem, & dignitatem corporis dominici, quod non est contreditandum, nisi manus consecratis. Pontifici autem fit unctionis in capite, in quo significatur abundantia gratiae, que in Prelatis debet in excellentia reperiri. Et hinc est, quod manus Sacerdotis unguntur oleo sancto, sed caput Pontificis chrismate, ut significetur, quod in eo debet esse excellentia vite in conspectu Dei in scientia, & in conspectu hominum quantum ad famam. Atque ita huic de sacris Ordinationibus libro finem imponimus.

A D N O T A T I O .

BENE Catechismus Rom. in p. 2. c. 7. de Ordinis Sacramento pertractans advertit, reliqua omnia Sacraenta ita ab illo pendere, ut sine ipso partim confici & administrariullo modo non possint: partim solemni ceremonia & religioso quadam ritu, ac cultu carere videantur. Sed illud hac in re præcipuum est, quod Evangelicæ legis Sacerdotium ab Ordinis Sacramento dimanat: hujusmodi vero Sacerdotium summam obtinet dignitatem, cum potestatem habeat conficiendi offerendique Christi corpus & sanguinem, necnon dimittendi peccata; quæ duo munera humanaam intelligentiam

tiam rationemque prorsus excedunt.

Sicut autem divina res est tanti Sacerdotii institutio & ministerium, ita nemo ad illud assumendum est, nisi a Deo vocetur. Nec quisquam, inquit Apostolus ad Hebr. 5. v. 4. sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui vocatus est ad eum: *Filius meus es tu.*

Hujusce vero vocationis indicia tria passim & Theologis recensentur; secularium nempe curarum abiectione, divini cultus studium singulare, atque intentionis, & propositi rectitudo. Non enim ad Sacerdotium, & Ecclesiastica ministeria a Deo vocati censendi sunt, qui ob quaestum, ambitionem, avaritiam, aut ob aliquam turpem finem sacris initiari desiderant.

Hunc laudatus supra Catechismus n. 5. monet, quod qui Ordinis Sacraementa initiari volunt, hoc sibi protonant opus est, ut non solum Dei gloriam, in omnibus rebus querant, quod guidem cum omnibus, tum maxime fidelibus commune esse constat; sed etiam, ut alicui certo Ecclesiae ministerio addicti in sanctitate, & justitia illi serviant. Sicut enim Clerici laicos gradu precellunt, ita eosdem debent sanctitate precellere. Quare Synodus Tridentina in sess. 23. c. 14. de assumendis ad Presbyteratus Ordinem ait: *Ita pietate & castis moribus sint conspicui, ut praeclarorum bonorum operum exemplum, & vita monita ab eis possint expectari.*

Neque tantum morum probitas, verum & scientia necessaria est iis qui ad Ordines, ac praesertim ad Sacerdotium promoscentur. De his enim Malach. 2. v. 7. legitur: *Lobia Sacer-*

cordotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus. Et Apostolus in i. ad Tim. 4. v. 13. scribit: *Attende lectioni, exhortationi, & doctriue.* Hac de re Catechismus Rom. citato superius loco inquit: *In Sacerdote non scimus ea cognitio requirienda est, quae ad Sacramentorum usum, & tractationem pertinet: sed etiam sacrarum literarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo Christianæ fidei mysteria, & divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem, & pietatem incitare, a vitiis revocare fideles possit.*

Itaque inter Clericorum studia commendanda principio est lectio, & meditatio Scripturarum, uti docet etiam S. Augustinus epist. 137. ad Volusianum; post Scripturas vero impendendum est tempus in percurrendis Patrum Operibus, ut in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum scribit S. Hieronymus: necessaria denique est sacrorum Canonum scientia, iis maxime, qui animarum regimini deputantur: hac de re lege quæ scripsimus in tomo i. pag. 77.

Et istæ quidem duæ præcipuae sunt Ordinandorum conditiones, quæ etiæ per transennam a nobis adnotatae, satis ac super ostendunt, juxta Apostoli præceptum in i. ad Tim. c. 5. v. 22. manus cito nemini imponendas; quod testimonium expendens Leo Magnus in epist. 87. ait: *Quid est cito manus imponere, nisi ante etatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Qui vero non probatos initiant, eodem Apostolo teste, communicant peccatis alienis.*

Hunc itaque librum tandem concludamus sub jungendo S. Thomæ doctrinam in suppl. 3. p. q. 36. a. 4.

a. 4. „ A Domino describitur fidelis servus
 „ qui est constitutus supra familiam suam , ut
 „ det illi tritici mensuram : & ideo infidelita-
 „ tis reus est , qui alicui supra mensuram ejus
 „ divina tradit : hoc autem facit quicunque
 „ indignum promovet ; & ideo crimen morta-
 „ le committit , quasi Summo Domino infide-
 „ lis ; & præcipue cum hoc in detrimentum
 „ Ecclesiæ vergat , & honoris Divini , qui per
 „ bonos ministros promovetur . Eset enim ia-
 „ fidelis terreno domino , qui in ejus officio
 „ aliquos inutiles poneret .“ Reliqua scitu di-
 gna apud eundem S. Doctorem videant Can-
 didati .

F I N I S.



